CLAVIS APOSTOLICA,

34-3-B-13

SEV

THEOLOGICA DEMONSTRATIO;

QVA DILVCIDE AC SOLIDE CONCLVDITVR, DIVINA FIDE CREDENDVM,

PAVLVM V.

ESSE SVMMVM MAXIMVMQVE PONTIFICEM.

AVCTORE

R. P. atque Eximio Magiſtro F. IACOBO DE BROVWER S. Theologiæ Doctore, eiuſdemque Profeſſore & Regente in generali ſtudio apud FF. Prædicatores Duaci.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DVACI,
Ex Officina Typographica BALTAZARIS BELLERI, Typographi ſub Circino aureo.
ANNO 1621.

INFRASCRIPTVS do licentiam R. Admodum Patri IACOBO DE BROVVER ord. Prædicatorum S. Theologiæ Doctori, eiuſdemque in conuentu Duacenſi dicti ordinis Profeſſori & Regenti ſecundario, vt demonſtratio Theologica ab eo conſcripta, quâ dilucidè & ſolidè concluditur, diuinâ fide credendũ ſanctiſſimum D. Paulum quintum, eſſe Romanum Pontificem, Petri ſucceſſorem & Christi vicarium. prelo committatur. Datum Duaci 21. Ianuarij 1620.

Frater Ioannes Des loix, ordinis Prædicatorum ſacræ Theologiæ Magiſter & per Belgium Prouincialis.

APPROBATIO.

QVESTIONEM iſtam Theologicam, *Vtrum fide diuina credendum, Paulum quintum eſſe ſummum maximumque Pontificem;* à R.P. Fratre IACOBO DE BROVVER S. Theologiæ Doctore, & in Conuentu S. Dominici Duaci Regente ſecundario, conſcriptam: accuratè perlegi; nihilque in ea reperi, quòd vel à fide, vel à bonis moribus diſſonũ ſit: quin potius egregiè tuetur authoritatem ſummi Pontificis. oſtendens neceſſariò illum eſſe agnoſcendum pro tali, quem Eccleſia elegit, electumque inſtituit, ideoque poteſt imprimi. Ita iudicatum Duaci die 10. Ianuarij anno 1620.

Franciſcus Syluius S. Theologiæ Doctor & Academiæ Duacenæ Ordinarius Profeſſor.

Sitne per ſe primò de Fide Paulum V. eſſe ſummum Pontificem, Petri ſucceſſorem, ac Chriſti vicariũ, ita ſolidè atque eruditè tractat, hac Theologica demonſtratione R.P.F. Iacobus Brouuerius Ordinis Prædicatorum S. Theologię Doctor, eiuſdemque in hoc Duacenſi dicti Ord. Collegio, Profeſſor & Regens ſecundarius, vt eam cum voluptate legerim, & communi multorum bono, typis cõmittendam, indicem. Duaci 1620. Ianuarij. 12.

Frater HYACINTHVS CHOQVETIVS Ordinis Prædicatorum S.Theo.Magiſter, & in dicto ſtudio Regens primarius.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA, Archiduces Auſtriæ, Duces Burgondiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, diplomate ſuo ſanxerunt; ne quis librum cui titulus eſt: *Theologica demonſtratio qua cõcluditur Paulũ quintũ eſſe ſummum maximũq; Põtificem* per R.P. Fratrẽ IACOBVM BROVVERIVM præter BALTAZARIS BELLERI voluntatem, ad ſex annos vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemue habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione librorum, & alia grauiſſima pœna mulctabitur, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ, 19. Nouembris anno 1620.

Signat.

COOLS.

LECTO:

LECTORI PHILOTHEOLOGO SALVTEM.

STudium meum vtilitatibus tuis cõſulendi (Benigne Lector) ex hoc opuſculo intelliges, cuius editione duo tibi præſto emolumenta: nam & doctam ſupremæ in eccleſia auctoritatis defenſionem, Theologorum magnorum calculo approbatam tibi exhibeo, & aliorum eiuſdem authoris opuſculorum, in theologica hac paleſtra, breui edendorum, ſpem certam facio. Elicui enim quaſi ab inuito hanc ipſius lucubrationem, & prelum meũ vltrò obtuli: vt ad alios ingenii ipſius non contemnendos fœtus in lucem proferendos, quantũ in me eſset, animarem. Ego ſemper hoc in preli mei ſudoribus ſpectaui & ſpecto, vt quæ ex illo prodeũt opera, pietatem & fidem catholicam Romanam, pleno ſpirent calatho: quod in iam editis & edendis doctorum ſcriptis, teſtatũ mũdo feci; & hoc, paruo quidem, ſed vtiliſſimi argumenti, tractatuſque opuſculo, non dubito teſtatũ reddi. Tu lector fruere, hoc quod nunc damus, & candido iudicio foue; & propediem alia accipies ſimilis eruditionis & pietatis.

Vnum tamen te moneo, ne mireris, quid hic Apoſtolicam voco Clauem: idque eſt quod in

hocce opuſculo aperitur porta, pāditurque via, quâ ad certiſſimam, infallibilem & Apoſtolicam peruenias veritatem. Demonſtratur ſiquidem, quidquid à PAVLO QVINTO *ex Cathedra definitum eſt, illud ab Apoſtolica ſede & auctoritate, definitum, ac decretum eſſe.* Vale.

ELENCHVS

PReambulum.

Art. 1. Adferuntur pro vtraque parte argumenta.

Art. 2. Refertur & reiicitur prima ſentẽtia, aſſerens nequaquam fidei eſſe, hunc virum v.g. PAVLVM QVINTVM eſſe Pontificem.

Art. 3. Refertur & reijcitur ſecunda ſententia, aſſerens per ſe ſecundò fidei eſſe, quod hic vir ſit Pontifex.

Art. 4. Statuitur & explicatur vera ſententia aſſerens fidei eſſe per ſe primò, quod hic vir PAVLVS V. ſit Pontifex.

Art. 5. Probatur vera ſententia ex Chriſti Domini inſtitutione.

Art. 6. Oſtenditur, quicquid huius propoſitionis eſt PAVLVS V. *eſt Pontifex* ad fidem pertinere.

Art. 7. In eiuſdem ſententiæ confirmationẽ adferũtur 6. theologicę rationes.

Art. 8. Confirmatur deinde ex refutatione eorum, quæ ab aduerſarijs pro altera ſententia tuenda, traduntur.

Art. 9. Probatur eadem ſententia Conciliorum & Pontificum decretis.

Art. 10. Reſoluuntur argumenta pro diuerſa ſententia.

Art. 11. Occurritur cuidam difficultati & obiectioni.

VTRVM DIVINA FIDE CREDENDVM, PAVLVM V. ESSE SVMMVM MAXIMVMQVE PONTIFICEM?

QVÆSTIONIS PRÆAMBVLVM.

DIVINA inſpiratione atque inſtinctu factum exiſtimauit B. Auguſtinus, quod obſcurius paulò prænunciarint & propherarint Prophetæ, de Chriſto Saluatore, quàm de Sponſa eius ipſi dilectiſſima, Eccleſia. *Puto* (inquit) *propterea, quia videbant in ſpiritu, contra Eccleſiam homines facturos eſſe particulas, & de Chriſto, non tantam litem habituros, de Eccleſia magnas contentiones excitaturos; ideo illud, vnde maiores lites futuræ erant, planius prædictum & apertius prophetatum eſt.* Nec abſimili ratione, Graues Scholaſtici Doctores fructuoſè operati ſunt, atque etiam nūc operantur, vt eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ ſartam tectā conſeruent defendantque auctoritatem: nimirum illi fundamento, quod primùm à Chriſto ipſo, & deinde ab Apoſtolis, tanquam ab architectis longè ſapientiſſimis poſitum eſt, ſuperędificātes aurum,

In pſal. 30 Conci. 2. verſu. qui videbant &c.

1. Cor. 11.

 63
argentum atque lapides pretioſos. quales ſunt præſtantes illæ fidei aſſertiones. vnũ aliquem atque viſibilem, toti Eccleſiæ vniuerſalem prę̈eſſe ac præſidere Paſtorẽ. eum eſſe Chriſti Domini in terris vicariũ, & Petri ſucceſſorem. eundemque eſſe Romanæ vrbis Epiſcopum, atque quod hinc conſequens fit. Epiſcopatum orbis eundem illũ eſſe, qui Epiſcopatus Vrbis, & ſummus maximuſque Epiſcopatus. Ad quorum imitationem, eidem Sacroſancto Chriſti ædificio mente ac meditatione inſiſtenti mihi, occurrit eidem fundamento, propoſitâ quęſtione ſuperimponendum, & certa reſolutione concludẽdum. fidei eſſe, & omnibus Chriſti fidelibus credendum, *hunc determinatum hominem, virum præſtantiſſimum, Paulum quintum, modò Dei gratia, Romanum Epiſcopum. eſſe ſummum maximumq́; Pontificem, Petri ſucceſſorem, atque Chriſti in terris vicarium.* Quæ ſanè concluſio eiuſmodi mihi videtur, vt non tantum directè pertinens ſit, ad primam Eccleſiæ petram, quęque illi ſuperimponi & ſuperędificari poſſit; verum etiam ipſius petræ atque fundamenti aliquid eſſe videtur. ſicut enim Chriſtus dominus, Petrum Eccleſiæ petram ſtatuit, & ſuper illum, illiuſque confeſſionem, ſuam ædificauit Eccleſiam, Matth.

16. ita deinceps ab eius morte, ſucceſſiuo tempore, alium aliquem ſubſtituit petram, pariterque eius doctrinæ ſuperimponit, ſuperædificatque. & quidem hoc tempore, eâdem Chriſti inſtitutione, Paulus 5. eſt illa Petra ſubſtituta, *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ. ad Epheſ. 4.* quare operæpretium eſt, eandem concluſionem quibus potuero, firmis argumentis adſtruere ac declarare.

ARTICVLVS I.

Adferuntur pro vtraque parte argumenta.

PRo parte negatiua faciunt hæc argumenta. Primum. Propoſito hæc, PAVLVS V. eſt ſummus Pontifex, ſeu vniuerſalis Fccleſiæ Paſtor, poteſt eſſe falſa; primò quidē, quia modus electionis quò vir ille ad Pontificatum euectus eſt, potuit eſſe non legitimus. deinde quamuis modus ille ponatur fuiſſe legitimus, potuit aliquis in electione particulariter, ſiue in forma, ſiue in materia defectus cōmitti (qui & facti eſſe dicetur) vt quia hic & nūc, potuit nō ſeruari debita electionis forma: vel quia hic ſingularis homo, potuit eſſe quadā ratione incapax Pōtificatus: cuiuſmodi eſt nō baptiſat⁹, aut ſexus femi-

feminei, vt fertur de Ioanne octauo: atqui nulla propoſitio falſa, poteſt eſſe fidei, cū falſum non poſſit ſubeſſe fidei. ergo.

2 Ad bonam Eccleſiæ gubernationem abſolutè loquendo, non eſt omnino neceſſarium, vt continuò omni tempore aliquis ſingularis vir, præſit illi tanquam vniuerſalis & ſupremus Paſtor. Nam certiſſimum eſt, quandoque nullū eſſe ſummum Pōtificem; dum vni defuncto, alter nondum ſubrogatus eſt. Imò in Eccleſiaſtica hiſtoria manifeſtum eſt, quoſdam nec ita breui tempore, in Eccleſię ſumma Cathedra, tanquam veros præſediſſe Pōtifices: qui tamen re vera tales non erant: & ſi erant, fuêre depoſiti: vt conſtat de Formoſo. Stephano ſeptimo. Benedicto octauo. Benedicto nono. & Silueſtro tertio, Pontificibus: quod tamen fieri non potuiſſet, ſi fide certum fuiſſet, illos viros fuiſſe Pontifices. ergo ſine fundamento aſſeritur, fidei eſſe quod aliquis ſingularis determinatus vir, ſit Pontifex.

3 Etiamſi fatendum eſſet; ita Chriſtū Dominum in Eccleſię bonum inſtituiſſe, vt pro omni tempore aliquis eſſet Eccleſiæ ſummus Paſtor, ſiue Petrus, ſiue Paulus: non tamen inde fit, Chriſtum inſtituiſſe, vt hic ſingularis vir, CAMILLVS BVRGHESIVS, dictus PAVLVS V. hoc

tempore anno 1619 eſſet ſummus & vniuerſalis Eccleſię Paſtor: Nam hęc eſt quędam determinatio ſuperaddita inſtitutioni Chriſti. Sicut autem (quod à S. Thoma, & communi Theologorum ſentententia aſſertum eſt) determinationes ſuperadditæ legi naturali, nō ſunt ad legem naturalem pertinentes; ita & determinatio ſuperaddita inſtitutioni Chriſti, legi diuinæ, & fidei, non eſt ad Chriſti inſtitutionem, legem, & fidem diuinam pertinens. ergo.

4 Illa dicta propoſitio, non eſt à Deo immediatè in Scriptura ſacra reuelata, nec à Chriſto oretenus accepta, & ad nos deinde per traditionem deriuata: nec etiam à Concilio vel Pontifice aliquo definita aut declarata eſt; cum nihil horum oſtendi poſſit: atqui duntaxat vno ex hiſce modis aliquo, aſſeritur propoſitio aliqua fidei eſſe. ergo.

5 Eadem hęc propoſitio, tantùm concluditur ex pręmiſſa vna fidei, & altera propoſitione nota naturali ratione: atqui communis eſt Theologorum ſententia, eiuſmodi propoſitionem, eſſe quidē modo aliquo fidei; ſed non per ſe primo, atque immediate pertinentem ad fidem. ergo.

6 Recedere ab hoc viro, PAVLO V.

eumque non agnoſcere pro vero pontifice, ſchiſma eſt atque ſchiſmaticum; nō autem eſt hæreſis aut hæreticum, cum hæreſis & ſchiſma ſint vitia per ſe diſtincta: atqui illud etiam verè eſſet hæreſis, ſi hunc virum PAVLVM V. eſſe Pontificem, pertineret ad fidem. ergo, illud nō pertinet ad fidem.

1 Pro diuerſa verò parte ſunt hæc argumenta. Primum, Chriſtus dominus non ſufficienter prouidiſſet Eccleſiæ ſpōſæ ſuæ, pro ſumma & maxima in eam dilectione, ſi ad certum & optimum eius regimen pro omni tempore, certum aliquem, eumque ſingularem, & omnibus manifeſtum non præfeciſſet, tanquam ſummum & vniuerſalem paſtorem. Debet enim ille vnus & ſingularis & determinatus eſſe, pro vno, ſingulari ac determinato ouili: potiſſimum in Monarchico regimine, debet etiam ita manifeſtus & certus eſſe, vt ad illum promptus eſſe poſſit, omnium Chriſti fidelium recurſus, vtque nequaquam de illius certitudine vacillet humanum iudicium. tum quia illa certitudo eſt diuinæ inſtitutioni proportionata; tum etiā quia aliàs non eſſet ſufficiens ad quarundam propoſitionum, quæ fidei ſunt, certitudinem adſtruendū. ergo ex diuina inſtitutione eſt aliquem

ſingularem & certum virum omnibus manifeſtum, eſſe totius Eccleſiæ ſummũ ac vniuerſalem Paſtorem: atqui ille eſt PAVLVS V. ergo.

2 Adhoc vt propoſitio aliqua ſingularis, ſit ad fidem per ſe, atque immediatè pertinens, non eſt neceſſarium, vt illa ſingulariter ſit manifeſtò, tanquam per ſe fidei expreſſa; ſed ſufficit, vt illa tanquam particularis, contineatur in vniuerſali aliqua, quæ per ſe immediatè fidem attineat: quia aliàs hæ ſingulares. Petrus in originali peccato conceptus eſt. Petrus mortalis eſt. & aliæ ſimiles, non eſſent propoſitiones per ſe fidei. Atqui hęc PAVLVS V. eſt vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, tanquam ſingularis cõtinetur in hac. ille ſingularis homo, qui eſt Petri ſucceſſor. eſt ſummus Pontifex, & in hac. pro omni tempore ſemper aliquis eſt verus vniuerſalis Eccleſię Paſtor, & alijs ſimilibus, quæ per ſe ac immediatè fidem concernunt. ergo.

3 Hęc eadem propoſitio continetur tanquam particularis, in aliqua vniuerſali, quæ conſtat tam Scripturâ, & traditione, quàm Conciliorum atque Pontificũ definitione ac declaratione. Certũ eſt enim, & apud Catholicos indubitatũ

ex ſcriptura atque traditione, declaratumque in Concilijs,& à Pontificibus definitum, aliquem ſingularem virum, & determinatum pro tempore, qui eſt Petri ſucceſſor,eſſe vniuerſalem Paſtorem, ſub qua comprehenditur hæc ſingularis. PAVLVS V. eſt Petri ſucceſſor,& eſt vniuerſalis Paſtor. ergo.

4 Hæc eadem ſingularis propoſitio, aſſerta eſt à Pontifice ipſo & Eccleſiæ Primatibus, ſimulque adprobatur communi totius Eccleſiæ omnium certiſſimo atque indubitato conſenſu: omnia verò hęc ſimul, habent rationem vnius legitimæ atque certiſſimæ definitionis; vt merito hinc eadem propoſitio, ex Cathedra Eccleſiæ decreta atque definita cenſeri debeat: atqui propoſitio, quæ ex Cathedra definita eſt, per ſe atque immediatè fidē attinet. ergo.

ARTIC. II.

Refertur prima ſententia.

THEOLOGORVM qui hanc in terminis propoſitis diſputauit quæſtionem, & eiuſdem reſolutionem prelo dedit atque expreſſit, vnus eſt Ordinis noſtri Pater Didacus Nunno 3. p.q.22. ſupplementi, a.3. dub,1.qui tres potiſſimum

 67
de eadem recenſuit diuerſorum, ſed Authorum ſuppreſſis nominibus, ſententias. Et prima quidem affirmat, nequaquam fidem attinere, hunc determinatum hominem, verbi gratia Paulum quintum eſſe ſummum Pontificem. quàm vt melius explicent, atque perſuadeant iidem Authores, ſententiam, animaduertunt non vnius formæ, ſed valde diſtinctas eſſe, duas haſce propoſitiones, *Paulus quintus eſt ſummus Pontifex* & *fidei eſt, Paulum quintum eſſe ſummum Pontificem*: prout aliæ ſimilis formæ enunciationes, planè diſtinguuntur. De illis ergo duabus, & ſuo iudicio diſtinctis propoſitionibus aſſeuerant. primam quidem eſſe veriſſimam, adeoque vt contradictoria illius ſit ſchiſmatica, ſcandaloſa, atque etiam multum temeraria; ſed haudquaquam erronea, & minus hæretica. ſecundam autem dũtaxant probabilẽ admittunt, & dimittũt.

Huius opinationis eſt Pater Magiſter Bannes 22. q. 1. dub. 2. breuioris commẽtarij in ſolut. 2. argum. verba illius ſunt. *Reſpondere poſſumus quartò* (reſpondet autẽ ex propria ſententia) *quod etiam poſt ſummi Pontificis & Concilii definitionem, ſolùm habetur ex humana prudentia, & euidenti inquiſitione; aut etiam ex infuſa prudentia, cui poteſt ſubeſſe falſum ſpeculatiuè, quod hic eſt ſummus*

Pontifex. ergo. Ex quibus hæc manifeſta ſunt: primùm, nequaquam fidem attinere, hunc hominem eſſe Pontificem; nam id aliàs non haberetur ſolùm ex humana prudentia, vt ipſe fatetur. ſecundum ſequitur, illud idem etiam prudentiâ infuſâ certum eſſe. & tertium eſt, aſſenſum infuſę prudentiæ non vndequaque & firmiter verùm eſſe; cùm (vt inquit) poſſit ei ſpeculatiuè falſum ſubeſſe.

Verùm (ſaluo tanti Doctoris honore) omnia hæc, nec rationi, nec ſibi conformia ſunt: & quàm ſint à ratione aliena: patebit ex ea, quam probãdam ſuſcipimus, ſtabilita iam & confirmata ſententia. quod etiam nõ ſibi conformia, facilè conſtat S. Thomæ doctrinâ. *12*.q. 63. a.*3*. & q. *65*.a.2. &.*5*. ibi enim apertè docet, Angelicus Doctor, quod ſicùt morales omnes acquiſitæ virtutes, atque etiam prudentia acquiſitâ, tanquam ſuo innitũtur fundamento, rationi humanę; ita pariter omnes infuſæ virtutes, atque prudẽtia infuſa, innitũtur fidei, ac reuelationi diuinæ, vt ſuo fundamento. Vnde eo ipſo, quò quis verè infuſæ prudentiæ aſſenſu, aſſentitur cuipiam rei, non tantùm eidem aſſentitur humana ratione. vnde patet hæc contradictio, quod intellectus noſter aſſentitur dictæ propoſitioni, per

ſolam

ſolam rationem & prudentiam humanã, & aſſentiatur eidem etiam per infuſam prudentiam.

Secũdò conſequitur, falſum eſſe, quod aſſenſus reipſa infuſæ prudentiæ, non ſit omnimodâ veritate firmus atque infallibilis: cùm enim neceſſariò diuina nitatur, & ratione, & aſſertione ſeu reuelatione; atque hæc nequaquam poſſit eſſe à veritate deficiens, cũ ſit ipſa per ſe regula veritatis: clarum eſt, quod ſi verus eſt prudentię infuſæ aſſenſus; vt quia re ipſâ, diuina nititur atque fulcitur reuelatione, non poſſe illi ſpeculatiuè falſum ſubeſſe.

Eatenus enim, vt demõſtrat S. Thomas ſpeculatiuè falſum ſubeſſe poteſt, & quãdoq; ſubeſt prudẽtiæ humanæ; quia humana nititur ratione, & hæc in contingẽtibus, nõ eſt ſibi neceſſariâ veritate cõſtãs.

Loquor autem vt expreſſi, de vero aſſenſu, & non illo quem quis quandoque ex rore quodam exiſtimat verũ eſſe prudentiæ infuſæ aſſenſum. Nam vt ait S. Thomas 22. q. 1. a. 3. ad. 3. ſicut *poſſibile eſt ex coniectura humana, hominem fidelem falſum aliquid æſtimare; ſed quod ex fide falſum æſtimet, eſt impoſſibile:* ita poſſibile eſt ex coniectura humana, hominem fidelem falſò aliquid vel credendum, vel agendũ prudẽter iudicare: ſed quod illud

falſò credendum, vel agendum iudicet ex infuſa prudentia. hoc eſt impoſſibile.

Igitur illâ ratione, dicta propoſitio. *Paulus quintus eſt ſummus Pontifex*, fit quodam modo ad fidem pertinens eſſe. Imò id abſolutè ſequitur ex doctrina S. Thomæ 1. p.q.2.a.2.& 22.q.1.a.5. ad3. vbi tradit aliquid duplici ratione fidem attinere. primò quidem & principaliter, quia ad eã per ſe ſpectat; & ſecundò, quia ad eam vt quidpiam præambulum facit: atque hoc eatenus ad fidem ſpectat, vt quidam fidei aſſenſus omnino firmus & certus ſit, & talis ſit in omnibus omnino fidelibus; qui aliàs non omnino certus, & tantùm quibuſdam fidelibus, ſcilicet doctioribus Philoſophis, aut Theologis eſſet certus. quod manifeſtum eſt in hac propoſitione, *Deus eſt*. Ergo pari ratione, vt omnino firmus ſit, & certus fidei aſſenſus, quo omnes Chriſti fideles, hoc præſenti Eccleſiæ ſtatu, aſſentiuntur ijs, quę à Paulo quinto, definita ſunt, definiuntur, & definientur. debet hæc propoſitio. *Paulus quintus eſt ſummus Pontifex*, quodam modo ad fidem pertinens eſſe. Nec etiam illa dumtaxat eſt aliquid præambulum ad ea, quæ fidei ſunt; ſed quoddam per ſe atque vniuerſale principium eſt, reſpectu quorundam, vt iam declarare incipimus,

ARTICVLVS III.

Refertur ſecunda ſententia.

VNDE altera ſententia ſecundo loco relata à P. Magiſtro Nunno, cuius etiam meminit P. Magiſter Bannes, eſt, hanc dictam propoſitionem per ſe fidem attinere; non quidem immediatè ac primò, ſed mediatè, ſeu ſecundariò, eo modo quô concluſio verè Theologica ad fidem ſpectat: nempe non immediatè & primò, vt quia non conſtat aliqua Dei expreſſa & explicata reuelatione; ſed quia ex præmiſſa fidei, factâ conſequentiâ, deducta eſt.

Quam ſententiam à priori, hoc pacto oſtendunt. Propoſitio quæ à Paulo quinto ex Cathedra definitur, per ſe fidei eſt, & dependens ex illa. *Paulus quintus eſt ſummus Pontifex*. atqui non poteſt vlla propoſitio, eſſe per ſe fidei, niſi & illa, à qua tãquam præmiſſa dependens eſt, ſit pariter per ſe fidei: Cum vniuerſaliter nulla concluſio poſſit eſſe certior ſuâ pręmiſſa, ſeu principio. ergo hęc, *Paulus quintus eſt ſummus Pontifex* per ſe fidei eſt: mediatè tamen, quia factâ hâc conſequentiâ duntaxat manifeſtatur fidei eſſe.

Idem à poſteriori ſic probant. Cui cõ-

uueniunt ea, quę propria ſunt vni vero ſũmo Pontifici nimirum vniuerſaliter *paſcere oues Chriſti* Ioannis 21. & *Confirmare fratres ſuos*. Luc. 22. vt ſit Chriſti vicarius, & Petri ſucceſſor, vniuerſalis Paſtor & Magiſter; ille ſecundùm fidem Catholicam eſt verus Pontifex: atqui eiuſmodi hoc pręſenti tempore, eſt Paulus quintus, vt apud omnes Catholicos indubitatum eſt. ergo.

Verum enimuero, hæ rationes firmiores ſunt, quàm vt ijs concludatur, dictą propoſitio *Paulus quintus eſt Pontifex*, tantum ſecundariò & mediate ad fidem pertinens; ſed inſuper ex illis ſequitur, eadẽ propoſitio tanquam immediatè ad fidem ſpectans, quod etiam profitetur Magiſter Bannes. Etenim iuxta poſterioriſticam doctrinam, debent neceſſariò præmiſſæ & priùs magiſque notæ eſſe, atque etiam certiores, quàm ſit concluſio ab ijs deducta: Vnde fieri nòn poteſt, vt propoſitio aliqua, quæ immediatè ad fidem ſpectat, & tanquam concluſio deducitur ab altera, quòd illa pariter, ex qua deducitur, immediatè ad fidẽ non ſpectet. Si ergo propoſitio illa, quæ à Paulo quinto definitur, eſt per ſe ac immediatè fidei, & illa ſequitur ex hac *Paulus quintus eſt Pontifex*: pariter & hęc, eſt per ſe ac immediatè fidei.

Imò

Imò id à fortiori ſequitur: nam ideo prior eſt, immediatè ad fidem pertinens, quia altera eſt immediatè ad fidẽ pertinẽs iuxta illud: *propter quod vnumquodque tale & illud magis.*

ARTIC. IIII.

Statuitur vera ſententia.

STATVITVR ergo hæc tertia ſententia, quę communior eſt Theologis ijs, qui difficultatem hanc ex profeſſo tractarunt: nempe ad fidem pertinens eſſe, & quidem per ſe primò atque immediatè, hunc hominem v. g. *Paulum quintum* ſummum eſſe, & maximum Eccleſię Põtificẽ. ita P. M. Didacus Nunno loco citato. ſapientiſſimus Magiſter P. Franciſcus de Arauxo ex Ordine noſtro, primariæ Cathedrę in Salmanticenſi Academia Profeſſor. P. Carillo in ſcriptis ſuis ad a. 10. q. 1. ſecundæ ſecundæ, qui & plures pro eadem hac ſententia citat, vt Michaelem Marcos. Peres. Michaelem Vaſques, &, qui hanc quæſtionem in dicta vniuerſitate diſputauit primus, Sarmiento.

Vt autem propoſitâ ſententiâ meliùs intelligatur, primò explicandum eſt, quâ ratione dicta propoſitio dicatur

ad fidem immediatè pertinens: in eo enim latet quędam ęquiuocatio, vnde nec vno eodemque modo idem à diuerſis accipitur. & B. Thomas 22.q.1.a.6.ad 1.& a. 7. & 8.itemque q. 2.a. 5. & eiuſdem quæſtionis a.7.plures tradit modos, quibus aliquid diuerſimodè fidem attinet. Sed iis ſepoſitis, immediatè ad fidem pertinens hìc accipimus, quod ipſâ Dei reuelatione, ſiue ſcriptâ, ſiue traditâ ſufficienter innoteſcit, adeoque vt non ſit per ſe neceſſaria alia quædam propoſitio, ſiue morali, ſiue naturali certitudine euidēs, quò idem fidei eſſe, manifeſtetur. Et ſic patet, illam propoſitionem eſſe ad fidem immediatè pertinētem, quæ per ſe non requirit aliam, quâ mediante fiat ad fidem pertinens, aut potius manifeſtetur, eſſe ad fidem pertinens: atque in hoc diſtert hæc tertia ſententia à ſecunda.

Illud tamē addendū eſt. quāuis, vt aſſerimus, dicta propoſitio cōſtet diuina reuelatione; nō tamē cōtinuò omnibus fidelibus nota, atque certa eſſe debet; vt quia illa reuelatio non omnibus nota aut certa eſt. Et vt inquit S. Thomas 1.p.q.1.a.5. ad prim. *nihil prohibet id quod eſt certius ſecundùm naturam, eſſe quoad nos minus certū, propter debilitatem intellectus noſtri, qui ſe habet ad manifeſtiſſima naturæ, ſicut oculus noctuæ ad lu-*

men ſolis. vt dicitur in 2. Meta. Imò ſicut tam in ſpeculatiuis quàm in practicis, vt idem Angelicus Doctor aſſerit 12. q. 94. a. 2. & 4. quædam etiam per ſe nota, ſunt tantùm ſapientioribus nota; ita eorum, quæ per diuinam reuelationē fiunt fidelibus nota, quędā sũt tantũ ſapiētiorib⁹ fidelibus nota, quod etiā ex illo patet 22. q. 2. a. 6. atq; hoc pacto intendimus dictam propoſitionem per diuinam reuelationē Theologis notam eſſe, atque etiam ad fidem ſecundùm ſe, & immediate pertinentem.

Inſuper maioris claritatis causâ, poni debēt tres ſtatus, in quibus eadē propoſitio conſiderari poteſt, & ſecũdũm quos non vno, eodemque modo de eadem loquũtur Auctores. Primus ſtatus erit, prout omnium eligētium (quorum intereſt) factâ congregatione, & eorum omnium, vel duarum partium ſaltem conſenſione, electus nominatur, & aſſumitur hic homo Pontifex. Secundus erit, vt iam hæc electio ritè, ac legitimè peracta intimatur toti populo, atque hic homo præſtatur, exhibeturque Pontifex. Tertius erit, quando idem hic electus, declaratuſque Pontifex, ad id quod Pontificij muneris eſt, obeundum accedit, exequiturque. Quo poſito P. Gregorius de Valentia 22. diſp. 1. q. 1. puncto 7. §. 39. aſſerit, *quādiu Pōtifex*

tifex, quidem nihil erga vniuerſam Eccleſiam ſtatuit, nihil vel parùm admodum imminere periculi, ſi diu aut etiam numquam conſtaret ex fide, illum eſſe verum Pontificem; ſed certitudine tantùm morali. Plus enim quiddam eſt, ſedem Apoſtolicam omnino vacare, quàm non prorſus ex fide conſtare, num is, qui in ea præſidet, legitimè ac verè præſideat. Et tamen vacat quandoque, ſine magno Eccleſiæ incommodo, ſedes Apoſtolica aliquamdiu.

Sed huius dicti prima pars, aduerſatur tum veritati, tum decreto *Nicolai ſecundi*; quod infra adferemus ex diſtinctione 23. cap.17. *in nomine Domini*. & pariter decreto *Pij II.* infra allegandi. Quoad alteram verò partem animaduerto: longè aliud eſſe, non conſtare ex fide, Eccleſiam aliquo tempore non habere vnum aliquem determinatum virum pro ſuo viſibili paſtore, & aliud, non conſtare ex fide, illum ipſum determinatum virum, quem pro ſuo vniuerſali Paſtore habet, verum eſſe Eccleſię Paſtorem, dum iam illum pro tali habet & agnoſcit Eccleſia; & potiſſimùm quando illum acceptat certò atque indubitatè, idque tum Procerũ tum omnium ſimul fidelium vnanimi iudicio atque conſeſſione. quamuis ergo primũ illud nihil habeat incommodi, ſecundũ verò habet plurimũ, vt patebit deinceps.

Ergo

72

Ergo aſſerimus manifeſtò, hanc propoſitionẽ *Paulus V. eſt ſummus Pontifex*, eſſe per ſe ac immediatè ad fidem pertinẽtẽ, ſimul atque ſingularis ille vir electus eſt & aſſumptus Pontifex, quod nobiſcũ apertè teſtatur P. Didacus Nunno, & docet P. Carillo. idẽ verò quia diuerſis ac pluribus argumẽtis probare poſſumus; operæpretium erit, ex iis ſelectiora quodam ordine proferre, & primum à Chriſti inſtitutione argumentum erit.

ARTICVLVS V.

Probatur ex Chriſti inſtitutione.

CATHOLICA fide certum eſt, Chriſtum Dominum Eccleſiam ſuam, vt ſpiritualem quandam atque etiam ſupernaturalem rẽpublicam, ritè conuenienterque inſtituiſſe: cui proinde dedit & reliquit poteſtatem illi proportionatam. illam verò, ſicut optimè inſtituit, ita perfectiſſimo modo, perfectiſſimi regiminis. vtpote monarchici adornauit; quò à Chriſto indita poteſtas, vni alicui, vt omnium fidelium & totius Eccleſiæ præfecto atque pręſidenti conueniret: Petro ſcilicet, cui dictũ *Paſce agnos meos; paſce oues meas* Ioa. 21. Et planè, ſicut hãc illi nõ pro ſe, ſed pro tota dedit Eccleſia ita noluit

Petro moriente, morituram & perituram; ſed firmiter duraturam vſque dum Eccleſia perſiſtit, & vſque ad conſummationem perduraturam. Vnde neceſſariò fit, vt Petro, vita atque etiam hac poteſtate defuncto, alius quiſpiam vita ſuperſtes, in hanc accedat & ſuccedat vniuerſalē poteſtatem: vtque ſemper pro omni tēpore, aliquis & pro determinato tēpore, determinatus aliquis ſit ſucceſſor. atqui ille hoc præſenti tēpore eſt (Dei gratia) *Paulus V.* Igitur ad Chriſti inſtitutionem ſpectat, hunc certum atque determinatum virū. ſcilicet *Paulum V.* eſſe ſummū Pontificem.

2 Adde quod etiam fidei eſt, Eccleſiam viſibilem eſſe, & viſibili modo vſque ad conſummationem perduraturam; atque adeo is, cui hoc pręſenti tempore competit diuinâ inſtitutione illa ſupernaturalis poteſtas, pariter viſibilis & determinatus eſſe debet; & ſicut in hanc determinatam viſibilem Eccleſiam, tanquam vnum myſticum corpus, noſtrum intellectum inclinat ac determinat, fides, ita & in hunc determinatum, & viſibilem hominem, tāquam Eccleſię caput, eodē determinamur fidei aſſēſu. Ne aliàs quiſpiā Eccleſiam tāquā monſtrū quoddam, aut corpus mancū ſtatuat, nimirū aſſerēs, quod eo modo diuinâ fide agnoſcimus &

credimus Eccleſiam eſſe quoddam viſibile myſticum corpus, vt ſimul eâdē fide nō agnoſcamus, nec credamus ipſius viſibile caput. vt enim verè monſtrū aut quid mancū eſt, corpus ſine capite; ita & viſibile corpus ſine capite viſibili; atq; adeo verè mōſtroſū eſt, quod hinc cōſequitur.

Vt autem hic diſcurſus melius percipiatur, & manifeſtetur illud, quod iam aduerſus VALENTIAM dicebamus. notanda eſt illa B. Thomæ doctrina. 12. q. 85. a. 6. *duplex* (inquit) *conditio poteſt attendi in aliqua materia, vna ſcilicet quam agens eligit, alia quæ non eſt ab agente electa; ſed eſt ſecundùm conditionem naturalem materiæ. ſicut faber ad faciendum cultellum, eligit materiam duram & ductilem, quæ ſubtiliſari poteſt, vt ſit apta inciſioni, & ſecundùm hanc conditionem ferrum eſt materia proportionata cultello: ſed hoc, quod ferrum ſit frangibile, & rubiginem contrahens, conſequitur ex naturali diſpoſitione ferri, nec hoc eligit artifex in ferro; ſed magis repudiaret ſi poſſet; vnde hæc diſpoſitio materiæ non eſt proportionata intentioni artificis, nec intentioni artis.* Hæc ſanctus doctor, quæ ad propoſitum noſtrum maximè faciunt. Nam vt à principio dicebamus: Chriſtus dominus, tanquam ſapientiſſimus quidā Architectus ſuam conſtruxit, & ędificauit Eccleſiam, atque ęius fundamentum

&

& quidem primariam Petram, ſeipſum poſuit, cui & aliam pariter fundamentalem, ſed ſecūdariā petrā impoſuit, Petrū: eamq; petrā ſecundū alios deinceps ſucceſſores, perpetuò vſque ad cōſummationē firmiter duraturam voluit ac ſtatuit.

In iis tamen ſucceſſoribus, ſicut & in primo vicario, duplex eſt, vt exemplo inducto patet, ſimilis conditio, tanquam in materia quadam huius inſignis & diuini artificij. altera quidem, quæ naturalē diſpoſitionē ſubſequitur: nimirū quod vnuſquiſque mortalis ſit, & breui aliquo tempore futurus. ſed ſicut hæc conditio vt aſſerebat S. Doctor, nō eligitur ab Artifice, ita nec quod ſubſequitur eandem conditionem, cadit ſub artificis intentionē aut inſtitutionem. Ergo pręter Chriſti domini electionē atque inſtitutionē eſt, quod breui aliquo tempore ob vnius Pontificis demortui ſtatum, deſinat eſſe vnus determinatus Eccleſię vniuerſalis Paſtor quodque deſit viſibilis, quiſquis ille ſit, ſupremus Eccleſiæ Monarcha.

Alterum verò & potiſſimum eſt, quod pro toto Eccleſiæ ſtatu, poſſit continuò vnus aliquis alteri ſuccedere, ne per ſe loquēdo vnquā Eccleſiæ deficiat in regimine Paſtor, Magiſter, & Rector. & hoc proportionatū eſt intētioni Chriſti Domini huiuſce Artificis: atq; adeo, ſicut quod

perſe pertinet ad cõditionẽ materiæ artificialis, cadit etiã per ſe ſub intẽtionẽ Artificis; ita in propoſito ſub Chriſti artificis intẽtionẽ cadit, & ad electionẽ atq; inſtitutionẽ eius pertinet, quod vnus aliquis viſibili quodã modo deſignatus, exiſtat ac perſiſtat pro omni tẽpore sũmus & vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, Magiſter ac Rector. Rectè ergo cõcludimus, eumdeterminatũ virum v.g. *Paulum V.* qui quâdã ſucceſſionis ſerie, Petro ſubſtitutus eſt tanquã Chriſti vicarius, eſſe reipſa talẽ, ſecũdũ Chriſti electionẽ atq; inſtitutionẽ.

Artic. VI.

Probatur oſtendẽdo fidei eſſe, quidquid illius propoſitionis eſt.

SED ijs obluctãtur quidam hâc ratione. Non eo ipſo quod ſequitur, aliquem eſſe & viſibilem & deſignatũ, qui ſit vniuerſalis Eccleſię Paſtor & Monarcha. nõ inquã inde ſequitur, illũ ipſum hũc determinatũ virũ eſſe. v. g. *Paulum V.* neque ſanè illud eſt diuinæ inſtitutionis; cũ id nequaquã conſtet diuina reuelatione. & generale eſt, tã in ſpeculatiuis, quã practicis, non in omnibus eiuſdẽ rationis eſſe, vniuerſale & particulare. in ſpeculatiuis quidẽ, principia ſpectant ad habitũ principiorum, & concluſiones ad habitum aliũ, qui eſt ſcientiæ. In practicis etiã principia

generalia ſpectãt ad naturalẽ legẽ,& particularia ad legẽ poſitiuã.ergo pari ratione hoc generale,quod aliquis indeterminatè ſiue hic,ſiue ille, ſit Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor,poterit diuinã inſtitutionẽ attinere; nõ tamen ad eã pertinet, hũc virum determinatè;verbi gratia,*Paulũ V.* eſſe vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem.

Ordinatè deducimur hac obiectione, vt manifeſtemus fidei ac diuinæ inſtitutionis eſſe, quidquid ad veritatem huius propoſitionis, *Paulus quintus eſt Pontifex.* neceſſarium eſt. & illud ad priorem diſcurſum factum,dumtaxat deſiderari poteſt,quo declaretur legitimus iſte modus, quo hic homo electus & ad pontificatũ aſſumptus eſt, ſit ad fidem & Chriſti inſtitutionem pertinens.

Ad quod primò ſupponimus fide certũ, à Chriſto Domino relictã eſſe poteſtatẽ, quâ Eccleſia quodã certo modo aliquam deſignãdo perſonã, eligat eam in vniuerſalem ſuum paſtorem atque Pontificem: & quamuis modus ille,non continuo idẽ omnino inuariatus fuerit, quod ſufficiẽter Eccleſiaſticâ hiſtoriâ, & toto Eccleſiæ diſcurſu conſtare poteſt; veriſſimum tamen atque fide certum eſt, eum qui pro diuerſo tempore quodam modo diuerſus fuit, verum atque legitimum fuiſſe ele-

ctionis modum.

Et planè, is quem nunc obſeruat Eccleſia, Pontificiâ auctoritate definitus eſt. *diſtinc.23. capit. in nomine Domini.* vbi Nicolaus eius nominis ſecundus, *Auctoritate Apoſtolicâ instructus* (vt ait) *prædeceſſorũ ſuorum, aliorumque ſanctorum Patrum auctoritate,* electionis modum ſtatuit & decernit. In quo ſtatuto illud dignum notatu, quod inquit. *planè poſtquam electio fuerit facta, ſi bellica fuerit poteſtas, vel qualiſcunque hominum conatus malignitatis reſtiterit, vt is qui electus in Apoſtolica ſede, iuxta conſuetudinem inthronoſari non valeat; electus tamen, ſicut verus Papa, obtinet auctoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius: quod B. Gregorium, ante ſuam conſecrationem, cognouimus feciſſe.* Ex quo manifeſtum eſt (quod ad noſtræ ſententiæ explicationem addidimus) ſtatim eo ipſo, quo *Paulus quintus* hoc definito electionis modo, ſtatutus eſt & agnitus omni procul dubio, tanquam verus Pontifex, ſit etiam reipſa talis: idemque clariſſimè ex Cathedra definiuit *Pius ſecundus,* vt infra referemus.

Eundem eligendi modum *Alexander III.* in Lateranenſi Concilio; & refertur *cap. licet. tit. de electione.* ijs verbis deſcribit, *vt abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia, ille habeatur Pontifex, qui à duabus partibus cardi-*

nalium eligentium electus fuerit & receptus.

Igitur hoc ſuppoſito, fidei eſt, verum eſſe Pontificē illum, quicunque legitimo eligendi modo in Pontificem deputatur; & pariter fidei eſt, legitimum eſſe electionis modum, quo *Paulus V.* in Pontificem electus atque inſtitutus eſt. ergo fidei eſt *Paulum V.* verum eſſe atque legitimum Pontificem.

Idem non parum confirmat Concilii Conſtantienſis decretum, condemnans Ioannis Hus 26. errorem, qui eiuſmodi erat. *non eo ipſo quo electores, vel maior pars eorum conſenſerit viuâ voce, ſecundùm ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa.* & error 24. ab eodem Concilio condemnatus erat. *Si Papa viuat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per legitimam electionem ſecundùm conſtitutionem humanam; tamen aliunde aſcenderet quàm per Chriſtum.* Conſtat ergo fidei eſſe, eum qui legitimâ electione in Chriſti ouile aſcendit: eumque, qui maiore electorum parte ſibi conſentiente aſſumptus eſt, verum eſſe vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem.

Deinde in contrarium nequaquam mouere debet, illa ſubtilis imaginatio: aliud eſſe, quòd electio ſit canonica, & aliud quòd ſit legitima: nam electio canonica eſt (inquiunt quidam) ſi in ea illi ſtatuti

tuti Canones obſeruati ſunt: & legitima eſt, ſi inſuper aliud nihil ad electionē requiſitum deeſt. v. c. ſi perſona electa electionis incapax non eſt, cuiuſmodi eſſet femina, vel non baptiſatus. Hinc ergo ſi quiſpiam hoc modo argumentatur. non eſt fidei, hanc electionem (deſignando eā quâ Paulus V. aſſumptus eſt) eſſe legitimam; vt quia fide ipſā non conſtat, fuiſſe eam, tum ex parte formę, tum ex parte materiæ, omnis defectus expertem: atqui ille dumtaxat verus eſt vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, qui per legitimam, (nempe eā in qua nullus omnino ſit defectus) electionem, ritè aſcēdit in Chriſti ouile. ergo fidei non eſt, *Paulū V.* eſſe vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem.

Non (inquam) hoc argumentū aliquē mouere debet. nā eo ipſo, quòd certâ fide conſtat, electionē vniuerſalis Paſtoris canonicā eſſe, ſtatim eâdem fide cōſtat, eādē & legitimā eſſe electionē; vt in ea aliquis vllus defectus admitti nequeat, ob quē ſuo fruſtretur effectu: Id enim intereſt inter hanc electionē, & aliā quamcunq; cuiuſpiā particularis alicuius Eccleſiæ Paſtoris, vt ſpeciali ſuâ prouidētiâ Chriſtus, omnē illum defectum prohibeat ab hac electione: quod nō eâdē, nec pari ratione, de alia aliqua electione affirmari debet.

tifex, quidem nihil erga vniuerſam Eccleſiam ſtatuit, nihil vel parùm admodum imminere periculi, ſi diu aut etiam numquam conſtaret ex fide, illum eſſe verum Pontificem; ſed certitudine tantùm morali. Plus enim quiddam eſt, ſedem Apoſtolicam omnino vacare, quàm non prorſus ex fide conſtare, num is, qui in ea præſidet, legitimè ac verè præſideat. Et tamen vacat quandoque, ſine magno Eccleſiæ incommodo, ſedes Apoſtolica aliquamdiu.

Sed huius dicti prima pars, aduerſatur tum veritati, tum decreto *Nicolai ſecundi*, quod infra adferemus ex diſtinctione 23. cap. 17. *in nomine Domini.* & pariter decreto *Pij II.* infra allegandi. Quoad alteram verò partem animaduerto: longè aliud eſſe, non conſtare ex fide, Eccleſiam aliquo tempore non habere vnum aliquem determinatum virum pro ſuo viſibili paſtore, & aliud, non conſtare ex fide, illum ipſum determinatum virum, quem pro ſuo vniuerſali Paſtore habet, verum eſſe Eccleſię Paſtorem, dum iam illum pro tali habet & agnoſcit Eccleſia; & potiſſimùm quando illum acceptat certò atque indubitatè, idque tum Procerũ tum omnium ſimul fidelium vnanimi iudicio atque conſẽſione. quamuis ergo primũ illud nihil habeat incommodi, ſecundũ verò habet plurimũ, vt patebit deinceps.

Ergo

72

Ergo aſſerimus manifeſtò, hanc propoſitionẽ *Paulus V. eſt ſummus Pontifex*, eſſe per ſe ac immediatè ad fidem pertinẽtẽ, ſimul atque ſingularis ille vir electus eſt & aſſumptus Pontifex, quod nobiſcũ apertè teſtatur P. Didacus Nunno, & docet P. Carillo. idẽ verò quia diuerſis ac pluribus argumẽtis probare poſſumus; operæpretium erit, ex iis ſelectiora quodam ordine proferre, & primum à Chriſti inſtitutione argumentum erit.

ARTICVLVS V.

Probatur ex Chriſti inſtitutione.

CATHOLICA fide certum eſt, Chriſtum Dominum Eccleſiam ſuam, vt ſpiritualem quandam atque etiam ſupernaturalem rẽpublicam, ritè conuenienterque inſtituiſſe: cui proinde dedit & reliquit poteſtatem illi proportionatam. illam verò, ſicut optimè inſtituit, ita perfectiſſimo modo, perfectiſſimi regiminis. vtpote monarchici adornauit; quò à Chriſto indita poteſtas, vni alicui, vt omnium fidelium & totius Eccleſiæ præfecto atque prçſidenti conueniret: Petro ſcilicet; cui dictũ *Paſce agnos meos, paſce oues meas* Ioa. 21. Et planè, ſicut hãc illi nõ pro ſe, ſed pro tota dedit Eccleſia ita noluit

Petro moriente, morituram & periturã; ſed firmiter duraturam vſque dum Eccleſia perſiſtit, & vſque ad conſummationem perduraturam. Vnde neceſſariò fit, vt Petro, vita atque etiam hac poteſtate defuncto, alius quiſpiam vita ſuperſtes, in hanc accedat & ſuccedat vniuerſalẽ poteſtatem: vtque ſemper pro omni tẽpore, aliquis & pro determinato tẽpore, determinatus aliquis ſit ſucceſſor. atqui ille hoc præſenti tẽpore eſt (Dei gratia) *Paulus V.* Igitur ad Chriſti inſtitutionem ſpectat, hunc certum atque determinatum virũ. ſcilicet *Paulum V.* eſſe ſummũ Pontificem.

2 Adde quod etiam fidei eſt, Eccleſiam viſibilem eſſe, & viſibili modo vſque ad conſummationem perduraturam; atque adeo is, cui hoc pręſenti tempore competit diuinâ inſtitutione illa ſupernaturalis poteſtas, pariter viſibilis & determinatus eſſe debet; & ſicut in hanc determinatam viſibilem Eccleſiam, tanquam vnum myſticum corpus, noſtrum intellectum inclinat ac determinat, fides, ita & in hunc determinatum, & viſibilem hominem, tãquam Eccleſię caput, eodẽ determinamur fidei aſsẽſu. Ne aliàs quiſpiã Eccleſiam tãquã monſtrũ quoddam, aut corpus mancũ ſtatuat, nimirũ aſſerẽs, quod eo modo diuinâ fide agnoſcimus &

cre-

credimus Eccleſiam eſſe quoddam viſibile myſticum corpus, vt ſimul eâdē fide nō agnoſcamus, nec credamus ipſius viſibile caput. vt enim verè monſtrū aut quid mancū eſt, corpus ſine capite; ita & viſibile corpus ſine capite viſibili; atq; adeo verè mōſtroſū eſt, quod hinc cōſequitur.

Vt autem hic diſcurſus melius percipiatur, & manifeſtetur illud, quod iam aduerſus VALENTIAM dicebamus. notanda eſt illa B. Thomæ doctrina. 12. q. 85. a. 6. *duplex* (inquit) *conditio poteſt attendi in aliqua materia, vna ſcilicet quam agens eligit, alia quæ non eſt ab agente electa; ſed eſt ſecundùm conditionem naturalem materiæ. ſicut faber ad faciendum cultellum, eligit materiam duram & ductilem, quæ ſubtiliſari poteſt, vt ſit apta inciſioni, & ſecundùm hanc conditionem ferrum eſt materia proportionata cultello: ſed hoc, quod ferrum ſit frangibile, & rubiginem contrahens, conſequitur ex naturali diſpoſitione ferri, nec hoc eligit artifex in ferro; ſed magis repudiaret ſi poſſet; vnde hæc diſpoſitio materiæ non eſt proportionata intentioni artificis, nec intentioni artis.* Hæc ſanctus doctor, quæ ad propoſitum noſtrum maximè faciunt. Nam vt à principio dicebamus: Chriſtus dominus, tanquam ſapientiſſimus quidā Architectus ſuam conſtruxit, & ędificauit Eccleſiam, atque ęius fundamentum &

& quidem primariam Petram, ſeipſum poſuit, cui & aliam pariter fundamentalem, ſed ſecũdariã petrã impoſuit, Petrũ: eamq; petrã ſecundũ alios deinceps ſucceſſores, perpetuò vſque ad cõſummationẽ firmiter duraturam voluit ac ſtatuit.

In iis tamen ſucceſſoribus, ſicut & in primo vicario, duplex eſt, vt exemplo inducto patet, ſimilis conditio, tanquam in materia quadam huius inſignis & diuini artificij. altera quidem, quæ naturalẽ diſpoſitionẽ ſubſequitur: nimirũ quod vnuſquiſque mortalis ſit, & breui aliquo tempore futurus. ſed ſicut hæc conditio vt aſſerebat S. Doctor, nõ eligitur ab Artifice, ita nec quod ſubſequitur eandem conditionem, cadit ſub artificis intentionẽ aut inſtitutionem. Ergo pręter Chriſti domini electionẽ atque inſtitutionẽ eſt, quod breui aliquo tempore ob vnius Pontificis demortui ſtatum, deſinat eſſe vnus determinatus Eccleſię vniuerſalis Paſtor quodque deſit viſibilis, quiſquis ille ſit, ſupremus Eccleſiæ Monarcha.

Alterum verò & potiſſimum eſt, quod pro toto Eccleſiæ ſtatu, poſſit continuò vnus aliquis alteri ſuccedere, ne per ſe loquẽdo vnquã Eccleſiæ deficiat in regimine Paſtor, Magiſter, & Rector. & hoc proportionatũ eſt intẽtioni Chriſti Domini huiúſce Artificis: atq; adeo, ſicut quod

141

perſe pertinet ad cōditionē materiæ artificialis, cadit etiā per ſe ſub intētionē Artificis; ita in propoſito ſub Chriſti artificis intētionē cadit, & ad electionē atq; inſtitutionē eius pertinet, quod vnus aliquis viſibili quodā modo deſignatus, exiſtat ac perſiſtat pro omni tēpore sūmus & vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, Magiſter ac Rector. Rectè ergo cōcludimus, cumdeterminatū virum v.g. *Paulum V.* qui quâdā ſucceſſionis ſerie, Petro ſubſtitutus eſt tanquā Chriſti vicarius, eſſe reipſa talē, ſecūdū Chriſti electionē atq; inſtitutionē.

Artic. VI.

Probatur oſtendēdo fidei eſſe, quidquid illius propoſitionis eſt.

SEd ijs obluctātur quidam hâc ratione. Non eo ipſo quod ſequitur, aliquem eſſe & viſibilem & deſignatū, qui ſit vniuerſalis Eccleſię Paſtor & Monarcha. nō inquā inde ſequitur, illū ipſum hūc determinatū virū eſſe.v. g. *Paulum V.* neque ſanè illud eſt diuinæ inſtitutionis; cū id nequaquā conſtet diuina reuelatione. & generale eſt, tā in ſpeculatiuis, quā practicis, non in omnibus eiuſdē rationis eſſe, vniuerſale & particulare. in ſpeculatiuis quidē, principia ſpectant ad habitū principiorum, & concluſiones ad habitum aliū, qui eſt ſcientiæ. In practicis etiā principia

generalia ſpectãt ad naturalẽ legẽ, & particularia ad legẽ poſitiuã. ergo pari ratione hoc generale, quod aliquis indeterminatè ſiue hic, ſiue ille, ſit Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor, poterit diuinã inſtitutionẽ attinere; nõ tamen ad eã pertinet, hũc virum determinatè; verbi gratia, *Paulũ V.* eſſe vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem.

Ordinatè deducimur hàc obiectione; vt manifeſtemus fidei ac diuinæ inſtitutionis eſſe, quidquid ad veritatem huius propoſitionis, *Paulus quintus eſt Pontifex.* neceſſarium eſt. & illud ad priorem diſcurſum factum, dumtaxat deſiderari poteſt, quo declaretur legitimus iſte modus, quo hic homo electus & ad pontificatũ aſſumptus eſt, ſit ad fidem & Chriſti inſtitutionem pertinens.

Ad quod primò ſupponimus fide certũ, à Chriſto Domino relictã eſſe poteſtatẽ, quâ Eccleſia quodã certo modo aliquam deſignãdo perſonã, eligat eam in vniuerſalem ſuum paſtorem atque Pontificem: & quamuis modus ille, non continuo idẽ omnino inuariatus fuerit, quod ſufficiẽter Eccleſiaſticâ hiſtoriâ, & toto Eccleſiæ diſcurſu conſtare poteſt; veriſſimum tamen atque fide certum eſt, eum qui pro diuerſo tempore quodam modo diuerſus fuit, verum atque legitimum fuiſſe ele-

ctionis modum.

Et planè, is quem nunc obſeruat Ecleſia, Pontificiâ auctoritate definitus eſt. *iſtinc.23. capit. in nomine Domini.* vbi Niolaus eius nominis ſecundus, *Auctoritate Apoſtolicâ inſtructus* (vt ait) *prædeceſſorũ ſuorum, aliorũmque ſanctorum Patrum auctoritate,* electionis modum ſtatuit & decernit. In quo ſtatuto illud dignum notatu, quod inquit. *planè poſtquam electio fuerit facta, ſi bellica fuerit poteſtas, vel qualiſcunque hominum conatus malignitatis reſtiterit, vt is qui electus in Apoſtolica ſede, iuxta conſuetudinem inthronoſari non valeat; electus tamen, ſicut verus Papa, obtinet auctoritatem regendi Romanam Eccleſiam, & diſponendi omnes facultates illius: quod B. Gregorium, ante ſuam conſecrationem, cognouimus feciſſe.* Ex quo manifeſtum eſt (quod ad noſtræ ſententiæ explicationam addidimus) ſtatim eo ipſo, quo *Paulus quintus* hoc definito electionis modo, ſtatutus eſt & agnitus omni procul dubio, tanquam verus Pontifex, ſit etiam reipſa talis: idemque clariſſime ex Cathedra definiuit *Pius ſecundus*, vt infra referemus.

Eundem eligendi modum *Alexander III.* in Lateranenſi Concilio, & refertur *cap. licet. tit. de electione.* ijs verbis deſcribit, *vt abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia, ille habeatur Pontifex, qui à duabus partibus cardi-*

nalium eligentium electus fuerit & receptus.

Igitur hoc ſuppoſito, fidei eſt, verum eſſe Pontificē illum, quicunque legitimo eligendi modo in Pontificem deputatur: & pariter fidei eſt, legitimum eſſe electionis modum, quo *Paulus V.* in Pontificem electus atque inſtitutus eſt. ergo fidei eſt *Paulum V.* verum eſſe atque legitimum Pontificem.

Idem non parum confirmat Concilii Conſtantienſis decretum, condemnans Ioannis Hus 26. errorem, qui eiuſmodi erat. *non eo ipſo quo electores, vel maior pars eorum conſenſerit viuâ voce, ſecundùm ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa.* & error 24. ab eodem Concilio condemnatus erat. *Si Papa viuat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per legitimam electionem ſecundùm conſtitutionem humanam; tamen aliunde aſcenderet quàm per Chriſtum.* Conſtat ergo fidei eſſe, eum qui legitimâ electione in Chriſti ouile aſcendit: eumque, qui maiore electorum parte ſibi conſentiente aſſumptus eſt, verum eſſe vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem.

Deinde in contrarium nequaquam mouere debet, illa ſubtilis imaginatio: aliud eſſe, quòd electio ſit canonica, & aliud quòd ſit legitima: nam electio canonica eſt (inquiunt quidam) ſi in ea illi ſta-

tuti Canones obſeruati ſint: & legitima eſt, ſi inſuper aliud nihil ad electionẽ requiſitum deeſt.v. c. ſi perſona electa electionis incapax non eſt, cuiuſmodi eſſet femina, vel non baptiſatus. Hinc ergo ſi quiſpiam hoc modo argumentatur. non eſt fidei, hanc electionem (deſignando eã quâ Paulus V. aſſumptus eſt) eſſe legitimam; vt quia fide ipſã non conſtat, fuiſſe eam, tum ex parte formę, tum ex parte materiæ, omnis defectus expertem: atqui ille dumtaxat verus eſt vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, qui per legitimam, (nempe eã in qua nullus omnino ſit defectus) electionem, ritè aſcẽdit in Chriſti ouile. ergo fidei non eſt, *Paulũ V.* eſſe vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem.

Non (inquam) hoc argumentũ aliquẽ mouere debet. nã eo ipſo, quòd certâ fide conſtat, electionẽ vniuerſalis Paſtoris canonicã eſſe, ſtatim eâdem fide cõſtat, eãdẽ & legitimã eſſe electionẽ; vt in ea aliquis nullus defectus admitti nequeat, ob quẽ ſuo fruſtretur effectu: Id enim intereſt inter hanc electionẽ, & aliã quamcunq; cuiuſpiã particularis alicuius Eccleſiæ Paſtoris, vt ſpeciali ſuâ prouidẽtiâ Chriſtus, omnẽ illum defectum prohibeat ab hac electione: quod nõ eâdẽ nec pari ratione, de alia aliqua electione affirmari debet.

Et hoc ipſum ratione planè firma, atq; Chriſti teſtimonio fideli fundatũ eſt. *Ego rogabo Patrẽ, & alium paraclétũ dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum; ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, ... vos autem cognoſcitis eum: quia apud vos manebit.* *Ioan.* 14: & poſtea. *Paraclêtus autem ſpiritus ſanctus ... ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* iterum *Ioã.* 16. *cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* & iterum. *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Matth. vltimo,*

Etenim ſi hiſce, vel alijs ſimilibus auctoritatibus, firmiter aſſeritur: Eccleſiæ, eiuſque Procerum ſimul, in Chriſti nomine congregatorum, infallibilis Spiritus ſancti aſſiſtentia in ijs, quę ſunt ardua Eccleſię negotia, atque res grauiſſimæ: quid ni pari ratione, & pari certitudine, etiam in hac, quę certè vel grauiſſima Eccleſiæ cauſa, vel ex grauiſſimis vna eſt, idẽ dicam? Sed illud idem mecum affirmant Auctores pro tertia noſtra ſententia citati, & pro diuerſa P. *Valentia*, hiſce verbis, *ad hanc expediendam difficultatem, lubenter illud ſolum reſponderem; quod multi docti ac pij viri credunt, atque ipſe mihi perſuadeo. nempe numquam futurum, vt incapax eligatur, Deo ad auertendum ab Eccleſia ſua periculum facilè,*

vt

vt poteſt, id prohibente. Si etiam eidem au-ctori fidem adamus, eſt inſuper ſententia hæc multorum aliorum virorum & doctrina & pietate præſtantium.

Et verò ſi in ſimili materia, doctè atque fundatè aſſeuerant communi conſenſione Theologi: res fidei non aliter ex Cathedra definiri, niſi factâ prius ſufficienti & diligentiſſimâ inquiſitione; atque tum, non poſſe vllum aliquem defectum ſurrepere, ob quem res definita non ſit fidei, nec vt talis ab omnibus Chriſti fidelibus amplectenda. quid non pari ratione firmum atque fūdatum erit, vt dum prudēter omnibus ſeruatis ijs, quæ rectè præſcripta ſunt, aut poſſunt præſcribi ad Canonicam electionē vnius, qui regula quędam vniuerſalis eſt, eorum quæ fidei ſunt; atque ita hâc electione factâ, quid non, inquam, omnis omnino defectus hinc longè amotus erit pro eo amore, quem tantū in ſuam ſponſam Eccleſiā oſtendit Chriſtus, *pro qua ſanguinem fudit, cùm & de ſynagoga dîcatur per Dominum: quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? Eſa. 5. vt B. Thomas 4. contra Gent. c. 76.*

Accedit, illud potiſſimum pertinere ad ſapienter & optimè inſtitutum Eccleſiæ regimen, quod certam quandam, & omnino indubitatam habeat fidei &

omnium gubernandorum regulam, quæ ſanè omninò certa eſſe nō poteſt, niſi ex ſpeciali curâ atque Chriſti prouidentiâ, omnis error atque defectus diligentiſſimè præcauetur modo explicato.

Poſtremò vltimus hic ſcrupulus, etiam non vrget, propter quem fortè, non omnibus noſtra hæc ſentētia placet. nimirū quia hæc propoſitio: *Paulus V. eſt vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor*, nuſquam expreſſè definita legitur, & non niſi per aliam quandam præmiſſam ſubſumptam colligitur.

Verùm ad hoc facilis eſt, & certa reſponſio. Primò non omnia quæ per ſe atque immediatè ſunt fidei, debere eſſe explicatè definita.

2 Error 10. *Ioannis hus*, in Concilio Cōſtātiēſi damnatus erat. *nullus ſine reuelatione, aſſereret rationabiliter de ſe, vel de alio, quòd eſſet caput particularis Eccleſiæ.* ex quò manifeſtū eſt, nō requiri expreſſā aliquā reuelationē, vt *Paul⁹* 5. ſit caput totius Eccleſię.

3 Multa ſunt ad fidē per ſe & immediatè pertinentia: quamuis ea eſſe fidei, quâdā aliâ intermediâ propoſitione, cōſtet. Nam cōmunis eſt, & probabilior Theologorum ſententia: fidei eſſe, Romanum Epiſcopum, eſſe vniuerſalem Epiſcopū, & Epiſcopatum Vrbis, eſſe Epiſcopatum Orbis; quod tamen non niſi quâdā ſup-

poſitione factâ, & mediante aliâ propoſitione manifeſtatur, fidei eſſe.

Sed etiam hoc omiſſo, cùm certiora nobis non deſint exempla, & in quibus nulla contradictio. Certiſſimum eſt, ad fidem pertinere: Petrũ, Ioannem, & ſic in particulari de ſingulis, ſecluſo priuilegio, fuiſſe in peccato originali conceptos, & pariter eos eſſe mortales; nequaquã tamẽ id, de particulari aliquo reuelatum legitur. ergo pari ratione, quamuis non eſſet in particulari expreſſè definitum, *Paulum V.* eſſe ſummum Pontificem; poteſt tamẽ illud per ſe ad fidem, & Chriſti inſtitutionem pertinere.

Quod ita declaro, primò ſtatuẽdo propoſitionem illam, quæ hìc media eſt inter præmiſſam fidei, & eam, quæ ex præmiſſa fidei infertur, non ſe habere vt formalis ratio, ſed tantũ vt cõditio quędam, prout loquuntur Theologi.

Secundò animaduerto, illationem ſeu conſequentiam duplicem eſſe: aliam artificialem ſeu dialecticam propriè, quàm formalem conſequentiam vocãt; vt quia quod per illam infertur, non ita clarum eſt, nullaque caret difficultate, vt rectè illatum appareat. altera conſequentia eſt quaſi naturalis, quæ potius quędam manifeſtatio ſeu explicatio

eſt illius quod infertur, quàm ratio infe-rendi ſeu conſequentia, & hāc inductio-nem Dialectici vocant; atque huius rei causā aſſignat *Philoſophus I.poſteriorū.* quod in ſyllogiſmo, qui propria eſt, & forma-lis conſequentia, debent eſſe tres termi-ni, vel duo ſaltem, ſignificantes aliquid realiter diſtinctum.

Ijs ergo poſitis, vniuerſaliter verum eſt: quod propoſitio deducta ab aliqua præ-miſſa fidei, per eam, quæ dumtaxat habet ſe vt quædam conditio, ad eandem illam deductam ſeu illatam propoſitionem, eſt quodam modo ad fidem pertinens: quod certum eſt in quauis concluſione propriè Theologica. Et deinde ſi deducitur illâ illatione; quæ non eſt artificioſa ſeu pro-priè dialectica, eſt per ſe primò atque im-mediatè ad fidem ſpectans: quod ſatis in adductis exemplis manifeſtum eſt. Et ra-tio conuincit, cum aliàs nullæ ſingulares propoſitiones, niſi quæ vſpiā ſeu ſcriptu-râ ſacrâ, ſeu aliâ aliquā definitione omni-no expreſſæ eſſēt, fidē ipsā in ſe attinerēt.

Igitur hoc toto diſcurſu, atque proceſ-ſu hactenus facto, ordinatè conſequitur: dictam & aliquoties repetitam propoſi-tionem, *Paulus V. eſt ſummus Pontifex* ad fi-dem per ſe, & immediatè pertinere. Et-enim primò deducitur ex hac fidei præ-miſſa

miſſâ. aliquis eſt pro toto Eccleſiæ tempore vniuerſalis vnus & viſibilis Eccleſiæ Paſtor: deinde ex illa pariter fidei, qui debito modo, per canonicam & legitimam electionẽ nominatur & aſſumitur eſt Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor. ijs verò vt quædam particulariſans conditio ſubſeruit hæc. atqui *Paulus quintus* eſt huiuſmodi: proindeque infertur concluſio, *Paulus V. eſt vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor*, per ſe atque immediatè ad fidem pertinens eſt.

Artic. VII.

In eiuſdem ſententiæ confirmationem, adferuntur ſex Theologicæ rationes.

Videor mihi nunc aliquot, & penè omnes euulſiſſe ſcrupulos, vt deinceps quaſi laxo brachio, adinſtar hortulani liberiùs alia & meliora poſſim proferre ſemina: nempe alia ex ratione petita argumenta, quibus amplius & firmius corroborẽ noſtram concluſionem intentam.

Et primum nec parum efficax eſt eiuſmodi. quæcumque propoſitio continetur quodam modo ſub diuina reuelatione, vt poſſit ex Cathedra definiri, atq; omnibus Chriſti fidelibus credenda proponi; ſi eadem illa à tota Eccleſia cõmuni atq; indubitato omniũ cõſenſu, vt certiſſima acceptatur, eſt ad fidem per ſe ac immedia-

mediatè pertinens, eſtque hoc ipſo omnibus tanquam fidei propoſitio ſufficiẽter manifeſtata. Etenim hic omnium cõmunis atque certiſſimus conſenſus, eſt quædam legitima atq; infallibilis definitio, & quidem ab ipſa Dei reuelatione deriuata: atqui hęc noſtra propoſitio eſt eiuſmodi. certiſſimum enim eſt, nec poteſt à quopiã Theologo negari; quin hoc pręſenti rerum ſtatu; id exigente rationabili aliquâ cauſâ, poſſet *Paulus V.* ex Cathedra denunciare. & omnibus credendũ proponere, ſe eſſe totius Eccleſiæ, atque vniuerſalem Paſtorem, ſe eſſe Petri ſucceſſorem, ac Chriſti in terris vicarium; cum illud idem ſępius à quibuſdam Pontificibus factitatum ſit. ergo.

Eadẽ hæc ratio poteſt breuiter ita explicari, & confirmari. duo ſunt neceſſaria ad eam, quæ primò & per ſe fidei eſt, propoſitionẽ; ſi illa non eſt aliâs expreſſè ſcripta, tradita, aut tanquam fidei definita: nimirum vt poſſit definiri, & alterum, quod certâ totius Eccleſię communi cõſenſione acceptetur: hęc autem duo in propoſita propoſitione maximę concurrunt. ergo.

Nec obſtat illa quorundam importuna inſtantia. quod debeat etiam ab Eccleſia, tanquam fidei exiſtens, acceptari: nã

uppoſito quòd definiri poteſt, vt quia
erè continetur ipſâ Dei reuelatione, vel
criptâ vel traditâ; iam illa acceptatio, vt
icebamus, quędã legitima definitio eſt.
empe quædam infallibilis manifeſtatio
lius, quod verè contentũ eſt Dei reuela-
ione. per definitionẽ autẽ legitimã quæ-
is propoſitio ſtatuitur, ſeu potius nobis
anifeſtatur, fidei eſſe, eſtque ab omni-
us tãquã fidei credẽda: nec pręterea re-
uiritur, quod propoſitio quæ defini-
ır, definiatur tanquam fidei exiſtens.
rgo.

Accedit hanc dictæ propoſitionis cer-
itudinẽ, & in ea vniformẽ omniũ Chriſti
deliũ conſenſũ, non eſſe niſi ex ſpeciali
uodam Dei inſtinctu; atque adeo id pe-
uliariter ipſi Deo attribuendum, *qui fa-
t concordiam in ſublimibus*. Iob. 25. hâc ve-
ò ratione, aſſeuerãt quidã graues Theo-
ogi, propoſitionem illam, in qua vno
onſenſu omnes conueniũt Scholaſtici
Doctores, in fide certam eſſe: atque ideo,
illud ipſum hac in re expendunt ijdem
pientes Theologi, pari ratione, & qui-
em à fortiore concludent, hunc certum
cõmunem omnium conſenſum, inniti
iuinæ inſpirationi ac reuelationi; pa-
terque hunc conſenſum in fide cer-
m eſſe. Præterea in hunc vnum

atque indubitatum omnium conſenſum, non parum conuenit, quod grauiſſimi Eccleſiæ Patres antiqui. *Irenæus, Epiphanius, Clemens, Auguſtinus, Iuſtinus* & alij, de ſeptuaginta interpretibus dixerunt, nempe diuinę Spiritus ſācti inſpirationi attribuēdū, quod diuerſis incluſi cellulis, eādē interpretatione, iiſdemque vocibus, ſine diſcrepantia aut differentia aliqua, in idē conuęnerunt omnes. verba B. Auguſtini id atteſtantis lib. 2. de doctrina Chriſtiana. cap. 15. ſunt. *Qui* (ſcilicet ſeptuaginta interpretes) *ſi vt fertur, multique non indigni fide prædicant; ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati, cum interpretati eſſent, nihil in alicuius eorum codice inuentū eſt; quod non iiſdem verbis, eodemque verborum ordine inueniretur in cæteris. quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?*

3. Certum eſt Catholicâ fide, non poſſe falli, Pontificis ſummi in re fidei iudiciū: & pariter eâdem fide certum eſt, vel etiā certiùs, eiuſdem Pontificis, vnâ cum ſuo in Chriſti nomine facto Concilio, infallibile eſſe, in eadem re fidei iudicium: ſed adhuc eâdem fide certiùs videtur, non poſſe in re fidei, & Pontificem, & Concilium, & ſimul omnes Chriſti fideles, errare aut falli. propoſitio ergo hæc *Paulus V. eſt ſummus Pontifex*, quę in re fidei eſt, &

omnium

nium omnino ſimul conſenſione aſ-
ta, planè ſine vlla exceptione, eſt ad
em ſpectans.

Nullâ ratione admitti poteſt, Chri-
m Dominum minus nunc ſollicitum
e, pro felici & optimo regimine popu-
ſui, in ſtatu nouæ legis, quã fuerit Deus
ſtatu veteris legis, ſpecialiter prouidẽs
gimini Iudaici populi; cùm longè ma-
cura, & dilectio Chriſti in Eccleſiá,
c nobis manifeſtò cõmẽdetur in ſcrip-
a ſacra. atqui in ſtatu veteris legis De⁹,
ſpeciali cura & dilectione inſtitue-
ipſe, ſua electione vniuerſalem Prin-
em ac Rectorẽ. vt docet *S. Thomas*. 1 2.
95. a. 1. ad 1. & patet in Moyſe, Ioſue, &
gulis Iudicibus qui ſucceſſerunt. ergo
iter Chriſtus Dominus, idem hoc prę-
Eccleſiæ regimini: ſicque, vt quamuis
diâ hominum electióne determinatus
uis vir aſſumatur; illa tamen electio,
eat ſpecialiter Spiritus ſancti aſſiſten-
n, vt ipſa ſit verè Chriſti Domini ele-
, vtque qui eligitur, verè à Chriſto
eligatur; quod infra patebit ex B.
priani epiſtola & alijs.

Et hoc argumentum non tantum eſt à
litudine, quæ aliqua eſt inter veterẽ
ouam legem; ſed etiam à figura ad fi-
atum, prout lex vetus erat figura no-

uę legis, iuxta illud, 1. Corinth. 10. *omnia cõtingebant illis in figura*; atque ita, quod in veteri lege fiebat circa inſtitutionem ſupremi Principis, ſignificabat quod in lege noua futurum erat, in inſtitutione ſummi Pontificis. & quidem ſicut lex vetus imperfecta erat reſpectu nouæ legis; ita pariter, quod in illa fiebat circa illam inſtitutionem, imperfectum erat reſpectu huius, quod iam fit in ſimili inſtitutione.

5 Præterea hoc confirmant omnes rationes, quibus recté probant Theologi, fidei eſſe, Romanum Epiſcopum eſſe Petri ſucceſſorem, ac Chriſti vicarium: certiſſimum enim eſt, & omnino indubitatũ, non alium quempiam, eſſe Romanũ Epiſcopum, præter *Paulum V.* ſed omnes illas rationes, quamuis etiam efficaces dimiſſas facio, tum ne actum agam, tum etiam, quia non ita propriæ noſtro inſtituto ſunt

6 Vt ſupra, ad refutandum ſecundam ſententiam, argumentabamur; certiſſimum eſt, nec vllatenus in dubium vocari poteſt: propoſitionem quæ à *Paulo V.* ex Cathedra definitur, aut definietur, eſſe per ſe fidei: atqui illud, non ita benè, nec ita firmiter ſuſtineri poteſt, niſi ſimul aſſeratur, fidei eſſe *Paulum V.* eſſe Pontificẽ. ergo.

ART.

82

ARTIC. VIII.

Confirmatur deinde, ex refutatione eorum, quæ ab Aduerſarijs pro altera ſententia tuenda adferuntur.

VLTIMÒ à poſteriori, hęc omnia *confirmat* diuerſa, & plurimum diſſentiens, nec ſufficiens, hac in re aduerſariorum reſponſio: dum aſſerentes, v. g. *Paulum V.* non certò diuinâ fide credendũ eſſe vniuerſalẽ Paſtorẽ, ſimul ſaluare conantur, propoſitionem ab eodem ex Cathedra definitã, eſſe per ſe primò fidei.

Dicunt enim eorum aliqui, propoſitionem, quæ à *Paulo V.* definitur, non ideo fidei eſſe, quia ab illo ipſo definita eſt; ſed ideo duntaxat, quia à tota Eccleſia acceptatur, tanquam fidei propoſitio. In quo primùm aduertere eſt, re verâ iuxta illorum Auctorum ſententiam, diſtingui Põtificem ab Eccleſia, & ipſius determinationẽ, ab Eccleſiæ approbatione: & deinde ſequitur, propoſitionem fidei magis dependere ab Eccleſiæ iudicio, eiuſque approbatione, quàm à Pontifice, & iudicio atque decreto eius.

Sed hæc non parum videntur aduerſari Chriſti inſtitutioni, quâ paſcendi officium (præbendo ſanę atque Catholicæ

fidei pabulum) non ipſi Eccleſiæ in ſe immediatò, ſed eius Capiti atque Paſtori commiſſum eſt, & in eo, aliis eius ſucceſſoribus: Vni enim & nominato viro. *Simoni Petro, Simoni Ioannis*, quem præ aliis, & plus aliis dilexit Chriſtus, dictũ eſt. Ioãnis 21: *Paſce agnos meos, paſce oues meas*: pro eiuſdem etiam in fide perſiſtentia, atque confirmatione rogauerat Chriſtus. Luc. 22. & eidem illi promiſerat, Matth. 18. *Claues regni Cælorum*; ſoluendi quidem, per fidei decreta, ad Cœlos viam ſternẽdo, & claudendi, ignorantiam & errorem omnem in fide reprobando atque extirpando. Ergo hic vir, Petri ſucceſſor & Pontifex, eſt definiendę fidei viſibilis illa in terris regula, & non Eccleſia, vt membrum quoddam à ſuo capite diſtinctum. Nam ita eſſent duæ diſtinctæ ab inuicem fidei regulę, & duo capita non inuicem ſibi ſubordinata, quę res planè monſtroſa eſt. atque adeo verè aſſerit Theologus, ideo aliquam propoſitionẽ à *Paulo V.* ex Cathedra definitam, fidei eſſe: quia ex diuina reuelatione per ſpecialem Spiritus ſancti aſſiſtentiam, ab vniuerſali Eccleſiæ Paſtore, ſeu Pontifice, & ab hoc illo viro, qui eiuſmodi eſt, decernitur atque definitur.

Confirmatur, & amplius declaratur

83

ratio facta Propoſitio fidei, quæ ex Cathedra definita eſt, dependet, ſecundùm illos Auctores, ab Eccleſiæ acceptatione, tanquam regula quadam; & pariter iuxta communem Theologorum ſententiã, dependet à Pontificia determinatione, etiam vt regula: proinde duo hæc, Pontificia determinatio, & Eccleſiæ acceptatio, duæ regulæ illius propoſitionis, vel ſunt diſparatæ, vel non, ſed ſunt ſibi inuicem ſubordinatæ regulæ. ſi primum, ſequitur res quædam mõſtroſa, vt dixi: duo ſcilicet capita vnius Myſtici Corporis in fide: &, quod inquit Caietanus op. de aucto. Papę c. 7. *principatuum pluralitas mala cũ ſit (vt patet 12. Metaphyſi.) à Ieſu Chriſto ſummo bono, qui vult Eccleſiam ſuam optimè diſponi, eſſe non poteſt.* ſi autem ſunt ſibi inuicem ſubordinatæ regulæ, vel acceptatio Eccleſię ſubordinatur Pontificiæ determinationi; atque ita ſequitur, quod intendimus. ex hoc nimirum, illam definitam propoſitionem fidei eſſe, quia eſt à vero Pontifice definita; & ideo eandem ab Eccleſia acceptari, quia eſt ab eodem Pontifice definita: vel contrà, ipſa determinatio Pontificia acceptationi Eccleſiæ ſubordinatur, & in eam vt in principium reducitur, atque vltimatè quoad nos, illa propoſitio in Eccleſiæ acceptionem re-

ſoluitur. Sed inde conſequens fit. 1. Summum Pontificem, non fore ſupremum in rebus fidei decernendis Iudicem. 2. eius auctoritatem in ijſdem rebus, nō eſſe maiorem & ſuperiorem reliquo Eccleſiæ corpore. & 3. ſine ipſo, eſſe nobis in Eccleſia rerum fidei, aliquam infallibilem regulam. quę omnia, vt minimum valde abſurda ſunt, & communi Theologorum ſententiæ contraria, quod liquet ex S. Thoma 22. q. 1. a. 10. & commentatoribus in eundem locum. imò aduerſantur manifeſtò Generalis Concilij Florentini decreto, cuius illa verba ſunt: *definimus Romanū Pontificē, in vniuerſum orbē tenere primatū, & ipſum Romanū Pontificē, ſucceſſorē eſſe B. Petri Principis Apoſtolorū, & verū Chriſti vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro* IESV CHRISTO *plenam poteſtatem traditam eſſe.* cōtrariantur etiam Leoni Pontifici. in *c. ita Dominus* diſtin. 19. & in ſexto. de elect. *cap. fundamenta*. dicenti. *Ita Dominus huius muneris Sacramentum, ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret; vt ab ipſo quaſi à quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* plura alia nec minus efficacia dimitto.

Deinde cauſâ ob quam Eccleſia, propoſitionem aliquam, vt certam diuinâ fide, & talẽ, cui meritò ab omnibus Chriſti fidelibus credendum ſit, acceptat, eſt determinatio Pontificis: ipſe enim eſt, à cuius ore omnes accipiant fidei confirmationem, & cuius vocem omnes audiant, iuxta illud *Act. 15.* quod Apoſtolis & ſenioribus in Concilio congregatis, ad omnes grauiter dixit Petrus. *viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum, audire Gentes verbum Euangelij, & credere.* quare prius erit, illam propoſitionem fidei eſſe, quam quòd, vt exiſtens fidei ab Eccleſia acceptetur; atq; adeo, non ipſâ Eccleſiæ approbatione, declaratur primò fidei eſſe; ſed vt talis prius declarata eſt ſufficienter, nimirum Pontificio decreto, ac declaratione.

Tertiò ex ratione corporis (cuius ſimilitudo quędã in myſtico Eccleſię corpore ſeruari debet) id euincitur: illa enim exigit, vt influxus à capite ſit in corpus, atque õnia eius mẽbra: & è cõtra nõ permittit, vt naturaliter à corpore & mẽbris influxus fiat in caput ipſũ. pari ergo modo influxus fidei in corpore myſtico, non debet eſſe à mẽbris Eccleſię, & à corpore ipſo in caput eius. ſcilicet Põtificẽ. ſed è cõtra à capite ſ. Põtifice debẽt in totã Eccleſiã deriuari

propoſitiones fidei. & hoc cōſtāter aſſerūt cōmuniter Theologi Doctores, probantque Scripturis, traditione, Concilijs atque Pontificum decretis, Sanctorumque Patrum vnanimi conſenſu.

Et verò ſi illa Eccleſiæ acceptatio ſeu approbatio ſufficiens eſt, quâ propoſitio aliqua tāquam fidei adſtruatur, quare etiam eadem hæc acceptatio, ex eorundem Auctorum ſententia, non adſtruet pariter hanc fidei eſſe. *Paulus V. eſt ſummus Pontifex*? in quā, prætera conuenit eiuſdem Pontificis adſenſus & approbatio. Neque hic locum habet, quod ijdē Auctores aſſerunt, illam propoſitionem fidei eſſe, ipſâ Eccleſiæ acceptatione, quā, tanquam fidei acceptat Eccleſia. dum enim Pontifex decernit propoſitionem fidei, non decernit quaſi actu reflexo, eam quæ fidei eſt, eſſe fidei.

Secundò aſſerunt, non vniuerſaliter quamcumque propoſitionem ab aliquo Pontifice definitam, fidei eſſe; ſed illam tantùm, quæ ab ipſo, qui verus eſt Pontifex, decreta eſt, quo dicto ſuo, fatētur poſſe contingere, aliquem determinatum virum v.g. *Paulum V.* à tota Eccleſia haberi atque æſtimari, verum eſſe Pontificem, quamuis reipſa talis non ſit. Sed hoc quid abſurdius viro Catholico? ne aliud dicā:

85
cùm ita admittatur manifeſtò, intollerabilis quidam totius Eccleſię error, circa rem grauiſſimam, quæ eſt ipſius Eccleſiæ caput: nimirum, quòd ipſa habeat, reuereatur, adoretque illum pro ſuo vero capite atque Paſtore, qui verè eiuſmodi nõ eſt: quod, inquam, Eccleſia ipſa tanquam ſponſa, & quidem quaſi impos mentis atque à ſenſu aliena, deſpõdeat ſe tanquam vero ſponſo, qui talis nõ eſt. Eſſet etiã hìc matrimonium quoddam ex errore erga perſonam ipſam; quod non ſubſiſtit. & quomodo iuxta Apoſtolicam veritatem Eccleſia, columna erit & firmamentum veritatis, ſi enormiter adeo à veritate deficere poteſt? *1. Tim. 3.*

Ruit item hâc eâdem ratione, totum fidei noſtræ fundamentum. Nam etiam Scriptura ſacra, non conſtat nobis certò talis eſſe, niſi per Eccleſię determinationem, prout atteſtatur S. Auguſtinus. *Euãgelio non crederem, niſi me Eccleſiæ auctoritas commoueret.* illa verò determinatio, à quodam ipſius vniuerſali Paſtore facta eſt: nõ enim quidquam in ſimili re, à tota Eccleſia ritè agitur, niſi vel approbante eius Rectore, vel ipſo id prius ordinante. adde, quòd etiam nomine Eccleſiæ aptè intelligi poteſt, ipſe vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor prout res aliqua, aliquid eſſe dici-

tur, ſecundùm *principalitatem ſicut princeps ciuitatis dicitur eſſe ciuitas*, quod S. Thomæ eſt 22.q.25.a.7. atque adeo dictum S. Auguſtini idem eſt, atque ſi diceret. Euãgelio nõ crederem, niſi me PAVLI V. aut alterius Pontificis auctoritas cõmoueret.

Denique, nec in fide firma erunt, vlla œcumenica Concilia; quorum tamen aliqua, non minus quàm quatuor Euangelia veneratur B. Gregorius. cum omnem ſuam & totaliter habeant auctoritatem ab ipſo Pontifice, à quo legitimè congregata, celebrata atque confirmata ſunt: ſi quod aſſerunt, non certò diuinâ fide conſtat, illum eſſe verum Pontificẽ. Nulli enim, niſi vero atque legitimo Petri ſucceſſori, & vniuerſali Paſtori dictum eſt. *Confirma fratres tuos. paſce oues meas, paſce agnos meos*. Sed mirum non eſt deficiente principii certitudine, alia per conſequẽs omnia & à certitudine & veritate deuiare: ſicut & conuulſo ędificii fundamento, omnia ipſius ædificii in caſum prona fiunt.

Tertiò aſſerunt, aliquem hoc ipſo, quod prudenter verus eſſe Pontifex æſtimatur, fieri re-ipſâ Pontificem, eo planè modo, quo in iure iuxta legem *Barbarius*, quiſpiam communi conſenſu vulgi, quãtumuis erroneo aſſequitur & obtinet iu-

riſdictionem. Verùm illud ſine ratione & falſò dicitur: nam quæ ex diuina dumtaxat inſtitutione atque ordinatione dependent, nequaquam poſſunt ſolo humano conſenſu, quicumque demum ille ſit, obtineri; quod ſufficiẽter conſtat in Ordinis poteſtate. nõ enim qui humano iudicio atque æſtimatione falſâ putatur ordinatus eſſe, re ipſâ ordinatus eſt, & verus Eccleſiæ Paſtor exiſtit. Vt autem à nobis oſtẽſum eſt, Pontificia auctoritas à Chriſti inſtitutione dependet. ergo ſolâ vulgi opinione non poteſt quis verus conſtitui Pontifex.

Secundò, quòd in iure obtinet quis iuriſdictionem aliquam illo dicto modo, eſt quia iuriſdictio illa dependet tantùm, vel ab Eccleſiaſtica poteſtate, ſi agitur de Eccleſiaſtica cõmunitate, vel à poteſtate Ciuili, ſi agitur de politica cõmunitate; & hoc quidẽ, quia ſic expedit bono regimini ipſius cõmunitatis: atqui Põtificia poteſtas, non dependet à poteſtate Eccleſiaſtica, vel Ciuili; nec pariter cedit in bonum regimen Eccleſiæ, eam conferri vulgi æſtimatione; ſed potius ipſâ Chriſti Domini certiſſimâ atque ſapientiſſimâ ordinatione. ergo.

3 Etiamſi propoſitio aliqua, communi errore vulgi exiſtimetur fidei eſſe, non ta-

men ideo fidei eſt; idque, quia non verè ex reuelatione diuina, per verum atque infallibilem diuinæ veritatis & reuelationis interpretem, eſt declarata fidei eſſe, & quia non eſt, verè ex Cathedra definita. ergo pariter ille determinatus vir, non eſt verè Pontifex, quamuis ille eſſe putetur communi totius populi errore; vt quia verè Chriſti ac diuinâ ordinatione, per canonicam atque legitimam electionem, non eſt aſſumptus.

Reſpondet *P. M. Bannes* aſſerens duo, primum eſt, vt propoſitio definita ab aliquo Pontifice, ſit fidei, ſatis eſſe; quod humanæ prudentię certo iudicio iudicetur ille, à quo definita eſt, eſſe Pontifex. ſecũdum eſt, Pontificis definitionem tantùm eſſe quandã conditionem reſpectu Chriſti fidelium, vt ipſi aſſentiantur ijs, quæ proponit Pontifex tanquam fidei, ad eũ modum, quo cuiuſuis Concionatoris ex pulpito facta propoſitio, ſe habet ad fidelium aſſenſum.

Sed neque hæc ſatisfaciunt. & primũ quidem, falſum eſſe ſuprà oſtendimus: eò quòd impoſſibile eſt, propoſitionem aliquam per ſe dependentem ab altera tanquam principio ſuo, habere maioré quãdam certitudinem, quàm inſit principio eius. atque adeo ſi fide certum non eſt,

eum

eum qui illam propoſitionem definit, Pōtificem eſſe, propoſitio ab eodem definita, non erit certò fidei: quia ipſam fidei eſſe, non conſtat, niſi per Pontificis illius definitionem; nam de tali propoſitione nunc noſter ſermo eſt.

Et confirmatur hoc pacto. ea tantùm propoſitio fidei eſt, quæ ab habente infallibilem auctoritatem definiendi, vt habente aſſiſtentiam Spiritus Sancti, eſt definita; atque adeo, ſi fide certum non eſt, hunc definientem illam propoſitionem, eſſe verè talem, propoſitio ab eo definita, non poteſt certò fidei eſſe.

Alterum verò illius dictum etiam falſum eſt, & ſuo Auctori contrarium. nam vt ex dictis patet, Pontificis determinatio ſeu ex Cathedra denunciatio, eſt ipſa Eccleſiæ definitiua ſententia, quæ communi Theologorum conſenſione, & ipſius etiam *Magiſtri Bannes*, eſt quoddam, quoad nos, per ſe fidei principium, & in quod, quantùm eſt ex parte noſtra, reſoluitur propoſitio fidei, quod S. Thomæ ſententiâ & verbis manifeſtum eſt: nam 22.q. 1.a.10.ait. *ad Pontificis auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ ſunt fidei, vt ab omnibus inconcuſſâ fide teneātur.* illi dictū eſt *in Petro ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma*

fratres

fratres tuos. & eius ſentētia eſt totius Eccleſiæ ſentētia, itē primâ parte, quæſtione trigeſimâ ſextâ, articulo ſecundo, ad ſecundum. *auctoritate Romani Pontificis, etiam antiqua Concilia congregabătur & confirmabătur.* iterum de *Potentia* q. 10. a. 4. ad 13. *auctoritate ſolâ Romani Pontificis, ſynodus congregari poteſt, & à quo ſententia ſynodi confirmatur, & ad ipſum à ſynodo appellatur: quæ omnia patent ex geſtis Concilij Calcedonenſis.* & iterum in tractatu contra impugnantes religionem. *ſancti Patres in Concilijs congregati, nihil ſtatuere poſſunt niſi auctoritate Romani Pontificis interueniente; ſine qua etiam nec Concilium congregari poteſt.* Hæc autem omnia, vel etiam aliquid eorum, particulari alicui quantumuis doctiſſimo & ſanctiſſimo Prædicatori nequaquam poteſt competere. Deinde Eccleſia tota non agnoſcit aliquem particularem doctorem, tanquam diuinum quoddam, & Spiritus Sancti oraculum, à quo ſuam accipiat doctrinam, & in fide inſtruatur; ſicut agnoſcit, & ſuſpicit ſummum Pontificem. ergo non eodem modo ſe habet Pontificis definitio, atque alicuius Concionatoris ex Ambone facta propoſitio.

ARTIC. IX.

Probatur eadem ſententia Conciliorum & Pontificum decretis.

RELIQVVM eſt, vt ad poſitas rationes, aliquot Oecumenicorũ atque ſummorum Pontificum definitiones, & declarationes addam, ex quibus tamen paucas proferam, nec plures neceſſariæ ſunt; quibus enim hę paucæ non ſufficient, nec plures, & infinitæ non erunt ſatis.

In Oecumenicis Conciliis, planè illud ratum atque decretum fuit, vt pro tempore eſſet aliquis ſingularis numero & determinatus vir, Romanę Eccleſię Antiſtes, atque ſummus Pontifex. Primò enim manifeſtum eſt, in generali ſynodo receptum fuiſſe, & agnitum à tota Eccleſia, Damaſum Pontificem, pro vniuerſali atque ſummo omnium paſtore. quod ex epiſtola ad eundem Pontificem conſtat, quæ eſt apud Theodoretum. lib. 5. hiſto. c. 9. ad eundem Pontificem etiam B. Hieronymus in quæſtione de tribus hypoſtaſibus ita ſcribit. *à paſtore præſidium ouis flagito, diſcerne ſi placet.* pariter & altera, etiã generalis ſynod⁹, vt eſt apud Euagriũ, l. 10. hi. c. 4. profitetur Cœleſtinũ Põtificẽ.

Item

Item ex Calcedonenſi Synodo, luculentum huius rei teſtimonium, refert *S. Thomas opuſ.* 1. *contra Græcorum errores. cap.* 32. omnium eiuſdem Synodi Patrum, vno ore, eodemque ſenſu, acclamationem. *Leo ſanctiſſimus, Apoſtolicus, & vniuerſalis Patriarcha, per multos annos viuat.* & act. 2. dum lecta eſſet, eiuſdem Pontificis epiſtola, ijdem omnes conclamarunt Patres. *Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus eſt. Petrus per Leonem locutus eſt.* & ſexta generalis Synodus. act. 18. apertè proteſtatur, Romanum Epiſcopum Agathonem, ſucceſſorem eſſe in ſede Principis Apoſtolorum.

Demum in altera etiam generali Synodo, libellus Adriani Pontificis, illo nomine ſecundi, approbatur illis verbis. *ſequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem (* dum nimirum inſiſtunt, doctrinæ ab Agathone traditæ) *ſperamus (* inquiunt) *vt in vna communione, quam ſedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt vera & integra Chriſtianæ religionis ſoliditas: quare non conſentientes ſedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra Myſteria non ſunt recitanda.* & rurſum de eodẽ illo Pontifice apertè profitentur Patres. *& ipſe B. Petrus Apoſtolus, Dei iuſſu Eccleſiam paſcens, nihil omninò prætermiſit, ſed vbique primatum obtinuit & obtinet.*

Ergo

Ergo declarāt manifeſtò illę vniuerſales Synodi. Petrum in Adriano paſcentē, principantem. Petrum in Agathone pręſidentem. Petrum in Leone viuentē & loquentem. & ex B. Thomæ doctrina relata, colligitur. Petrus eſt in ſuo ſucceſſore paſcens, ſuos confirmans fratres, ligās & ſoluens. Nec verò dubium aliquod eſſe poteſt: quod ſi ijdem nunc interrogantur, & proteſtantes audiuntur Patres; quin illa erit omnium vna vox, & certa ſententia. viuit, loquitur, paſcit, principatum obtinet, ſuos confirmat fratres, Regnum Cœlorum ſoluit & aperit in Paulo V. B. Petrus. Imò viuit ille, loquitur ille, paſcit ille, confirmat ille; ſed iam non ille, viuit verò, loquitur, paſcit & confirmat in eo Chriſtus: adeoque certiſſima & iuſtiſſima de cauſa, profitebitur ac proteſtabitur vnuſquiſque nunc Catholicus, illud B. Auguſtini contra epiſtolam Manichęi c. 4. *multa ſunt quæ in Eccleſiæ gremio, me iuſtiſſimè tenent. tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum,* PAVLVM V. *ſacerdotum ſucceſſio.*

Accedit optimus ille. qui à principio ſemper, & nunc continuò perſiſtit in Eccleſia vſus, vt quicumque Schiſmatici & hæretici ad eiuſdem Eccleſię reuertūtur ſinum

ſinum, profiteantur apertè illum ipſum, qui pro tempore reſidet, verùm eſſe Pontificem, de qua re decretum extat ex regiſtro B. Gregorij deſumptum *c. quoties.* 1.q.7. patet etiam *de conſecrat. diſtin. 2. cap. ego Berengarius.* & B. Cyprianus epiſtolâ 48, refert, Confeſſores, qui per fraudem Nouatiano adhæſerant, agnitâ ſuâ fraude, ad Eccleſiam pœnitentes, hâc profeſſionis normâ reuerſos fuiſſe. *Nos Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ electum à Deo omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus.* Idem illud, ſimili modo obſeruauit Petrus Oxomenſis, ante annos non ita multos, tempore Sixti quinti Pontificis.

Item ille vſus in Eccleſia vſquequo fuit, & prorſus neceſſarius, vt cuiuis ſchiſmati exorto occurreret ipſa tota, & facto Concilio, certâque ratione, certum aliquem & indubitatum particularem virū, ſtatueret decerneretque vniuerſalem Paſtorem; quòd facilè conſtat factum fuiſſe, per viginti ſeptem ſchiſmata, quæ in hūc vſque diem in Eccleſia recenſentur. Nam anno Chriſti 419. conuocatis vndique Epiſcopis (ducentis & quinquaginta numero, vt habet liber de Romanis Pontificibus) in Concilio ſtatutū eſt, Bonifacium primum verum eſſe, ac legitimum

timum Romanum & ſummum Epiſcopum. & anno quadringenteſimo nonageſimo nono, coactâ ſynodo Epiſcoporum Italię, cognitus & probatus eſt, Symmachus Romanus Epiſcopus, & Pontifex. Anno trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, tempore ſchiſmatis inter Damaſum & Vrſicinum, ait Beatus Ambroſius. epiſtolâ 30. *Damaſus Romanæ Eccleſiæ ſacerdos, iudicio Dei electus*, quod & B. Hieronymus tunc teſtabatur, & plures alij maximæ auctoritatis ſcriptores. Item anno quadringenteſimo decimo nono, Romani Presbyteri, in ſchiſmate Eulalij contra Bonifacium, ſcripſerunt ad Honorium Imperatorem, ijs verbis. *participato cum Chriſtiana plebe conſilio, quem Deus iuſſit elegimus, & acclamatione totius populi .... aſſeruimus diuinâ inſlitutionis ordine conſecratum*, & poſtea, *diuinum eſſe atque Dei iudicium* affirmant, quod illa electione factum eſt. Quæ ſanè verborum formæ non obſcurè indicant, aliquid diuinæ diſpoſitionis, & diuinâ diſpoſitione quid certum eſſe, in ſummi Pontificis electione. Plura alia tranſeo, ex quibus omnibus conſequens fit, hoc quod aſſerimus: nēpe ſingularē aliquem, ac determinatū hominē, pro tempore, vniuerſaliter toti Eccleſię

præ-

præſidere, certum atque declaratum eſſe, Eccleſiaſticâ traditione; quæ maximę & irrefragabilis auctoritatis apud vnumquemque Catholicum eſſe debet.

Nunc ex Pontificibus, qui ad eiuſdem rei confirmationem plurimum faciunt, duos dumtaxat, cauſâ breuitatis, adducā: primus eſt *Pius ſecundus* in bulla retractationis, ita loquens. *Petrus igitur, & eius ſucceſſores Romani Pontifices, primatum in Eccleſia tenuerunt, & nos hodie, quamuis indigni, ſolâ Dei voluntate digni, tenemus; quique Romanæ, ſecundùm Canonicas ſanctiones, præficitur Eccleſiæ, quamprimùm eſt electus, in ſacro Concilio ſupremam poteſtatem, à Deo ſine medio accipit, & per ordinem in omnem diffundit Eccleſiam.* quæ omnia & ſingula, accurratè expendenda, omnino manifeſta faciunt, & planè confirmant, quæ potiſſimùm noſtri intenti ſunt: Et quod amplius eſt, idem ille Pontifex aſſeuerat, omnia hæc à ſe, tanquam à Pontifice, & ex Cathedra, proferri ac definiri. quis ergo reluctabitur?

Vide & Innocentium 4. c. 1. in 6. de ſententia & re iudica.

Alter Pontifex *Martinus quintus*, legitimè quædam acta, definitioneſque Concilij Conſtantienſis, approbans & confirmans ſtatuit, ſuſpectos de hæreſi Ioannis Wicklef, vel Ioannis Hus, per certas interrogationes examinandos, quarum illa vna

la vna eſt.

Vtrùm credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine propriò expreſſo, ſit ſucceſſor Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei. & ab eodem Pontifice in dicto Conſtantienſi Concilio, proſcriptus atque condemnatus eſt, error 27, ille. *non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam. quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia conuerſetur & conſeruetur.*

Igitur verbis S. Thomæ 4. contra gentes. cap. 76. concludo, *per hæc excluditur, quorundam præſumptuoſus error, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubiectione Petri, ſucceſſorem eius Romanum Pontificem (* PAVLVM V. *) vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem non recognoſcentes,*

ARTICVLVS X.

Soluuntur argumenta pro diuerſa ſententia.

HINC verò facilis eſt ad argumenta facta reſponſio. ad 1. enim dicimus. hanc propoſitionem, PAVLVS V. *eſt ſummus Pontifex*, poſſe duobus modis ſpectari. primò ſecundùm ſe, & alio modo, vt ſubſtat diuinæ reuelationi. Et quidem, quāuis primo modo ſpectata, poſſit, aut potuerit eſſe falſa, non tamen poteſt aut

tuit eſſe falſa, conſiderata hoc ſecundo modo. Et quia in propoſito, de eadẽ propoſitione ſermo eſt, iuxta ſecundam cõſiderationem, abſolutè loquendo, non poteſt aut potuit eſſe falſa. Solutio eſt S. Thomæ 22.q.1.a.3. ad 2. vbi idem aſſerit de hac propoſitione, Deus eſt incarnatus. *dicendum*, inquit, *quod Deum non incarnari, ſecundùm ſe conſideratum, fuit poſſibile ... ſed, ſecundùm quod cadit ſub præſcientia diuina, habet quandam neceſſitatem infallibilitatis*, vt in prima parte, quæſtione decima quarta, articulo decimo tertio & decimo quinto, ab eodem S. doctore dictum eſt.

Deinde quia, vt iam dicimus, ſermo eſt de hac noſtra propoſitione, vt cadit ſub diuinam pręſcientiam & reuelationem, non poteſt eâdem hâc ratione falſa reddi ob aliquem defectum, ſiue ille in forma electionis Canonicæ, ſiue alio aliquo caſu etiam facti, particulariter ſubreperet, ob quem non eſſet legitima electio: idque etiam ob rationem ſupra aſſignatam; quia ad ſingularem Chriſti prouidentiam pertinet, omnem omninò defectum hinc remouere, vnde non eſt poſſibile, ſimul ſuppoſitâ Dei reuelatione, atque illâ peculiari Chriſti curâ, virum illum ſingularem, pro tempore in Eccleſia, tanquam verum illius vniuer-

ſalem Paſtorem reſidere, & illum non baptiſatum eſſe, aut (quòd quorundam hæreticorum commentum fuit; ſed à multis doctè refutatum atque exploſum) illum præſidem feminam eſſe.

Ad maiorem huius explicationem addo, defectus illos, qui vniuerſaliter in Pontificia electione poſſent contingere, eſſe in duplici differentia, quidam ſunt repugnantes diuino iuri, atque Chriſti inſtitutioni. verbi gratia. eſſe feminam, non eſſe baptiſatum: alij verò ſunt; dumtaxat repugnantes iuri poſitiuo Eccleſiaſtico, vt ſimonia interueniens, aut quidpiam ſimile, rationabili ſtatuto Eccleſiæ; contrarium. Inter quos defectus hæc eſt differentia, vt omnino negari debeãt prioris generis defectus; quia cum illis ſtare non poteſt, certa veritas dictæ propoſitionis, vt ſubſtat diuinæ reuelationi; atque Chriſti ſpeciali curæ. Non verò neceſſariũ eſt, poſteriores defectus omninò ablegare; vt quia abſolutè loquendo, non obſtãt legitimę electioni Pontificis. Cum enim illa electio fiat quâdã ſupremâ Eccleſiæ poteſtate; illi nõ ſunt præſtitutæ aliquot leges, abſolutè neceſſariò obſeruãdæ. ſed à præſtitutis legibus aliud illâ poteſtate fieri poterit ex quadã diſpẽſatione; prout legiſlator in ſua poteſt lege diſ-

penſare, quod ſaltem in aliquo particulari caſu admitendũ erit.

Et hoc quidem à nobis dictum, cum grano ſalis intelligatur, non vt videamur admittere, aliquem poſterioris generis defectum in vltima electione ſanctiſſimi Domini; atque Patris noſtri, PAVLI V. quod longè abſit; ſed quia in alterius alicuius Pontificis prędeceſſoris electione, quiſpiam aſſerere poſſet, Simoniam, aut quid aliud inordinatum interueniſſe. quod nos lubenter non aſſerimus, *ne ſopitos cineres prophanâ manu ventilemus; & quæ ſilentio ſopire oportet, rediuiuâ opinione diffamemus: ſequentes omninò veſtigia Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modò operire neglexit; verùm quoque irridendam cæteris enunciauit, ſed potius ſimiles eſſe volumus. Beatis illis fratribus qui nuditatẽ ipſam Reuerendi Patris, neque ſuis temerare oculis, neque alienis patere voluerũt; ſed auerſi, vt ſcribitur, texerũt eũ.*

Vincẽtius Lyrinẽſis

Ad 2. reſpondemus, iuxta S. Thomæ doctrinam ſuprà relatam, attẽto eo, quod perſe ſpectat Chriſti inſtitutio, fide certum eſſe, vt qui a tota Eccleſia certo ac debito modo agnoſcitur & ſuſcipitur Pontifex, ille ſecundùm eius inſtitutionem, quæ falli non poteſt, ſit certò atque indubitatè talis, ſed quòd aliquis ſingularis & determinatus vir, breui aliquo

temporę ob mortem interuenientem, nõ ſit vniuerſalis Eccleſię paſtor, vt quia, qui moritur deſinit eſſe Paſtor, & alius illi eodem inſtanti non ſuccedit, præter eius inſtitutionem eſt. quòd verò etiam, aliquo longiore temporis ſpatio, triginta annorum aut circiter, idque in ſchiſmate deſit certus Eccleſiæ paſtor, id Chriſto in nauicula Petri quaſi dormiẽte euenit, iuxta altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, atque incomprehenſibilia iudicia eius, de quibus non poſſumus certò iudicare, niſi velimus errare.

Illud tamen firmum eſt; quamuis illa Petri nauicula, poſſit vehementer fluctibus agitari, atque etiam ijs operiri; non tamen ſubmergi, ſicque aſſerimus: quamuis tunc ſecundùm fidem, certum nõ ſit, illum virum ſingularem eſſe Pontificem, qui in ſchiſmatę, non certó atque indubitato electionis modo ſubrogatus atque inſtitutus eſt Pontifex; idem tamen dici non poteſt nec debet, de illo qui indubitatè, modo à nobis explicato, aſſumptus eſt: maximè dum pacifico omnium omnino conſenſu atque applauſu, pluribus annis, ſanctè adminiſtrando Pontificium munus, ſedet in Cathedra Chriſti. prout omni reuerẽtia id nũc (Dei gratiâ) atteſtamur PAVLO V. dño & Patri sãctiſſimo.

Atque idem hoc nobiſcum aſſeruit S. Antoninus 3.p.hiſto.titulo 22,c.2. tẽpore maximi & peſſimi ſchiſmatis inter Gregorium 12.& Benedictum 13, *quorum* (inquit) *vtraque pars ſeu obedientia habuit peritiſſimos in ſacra pagina, & iure Canonico, ac etiam religioſiſſimos viros; & quod maius eſt, etiam miraculis fulgentes; nec vnquam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia. Nam etſi neceſſarium ſit, credere, ſicut vnam eſſe Catholicam Eccleſiam, & non plures, ita & vnicum eius Paſtorem vicarium Chriſti, iuxta illud Ioannis decimo*: fiet vnum ouile & vnus Paſtor, *tamen ſi contingit plures per ſchiſma creari ſeu nominari Pontifices ſummos vno & eodem tempore; non videtur ſaluti neceſſarium credere iſtum vel illum, ſed alterum eorum, qui ſcilicet fuerit Canonicè aſſumptus quis: autem fuerit Canonicè electus, non tenetur quis ſcire* (nempe illo ſchiſmatis tempore) *ſicut nec Ius Canonicum; ſed in hoc populi ſequi poſſunt Maiores ſuos ſeu Prelatos.* quibus verbis Sanctus ille Doctor, non parùm noſtram confirmat ſententiam: nimirum omnibus Chriſti fidelibus credendum eſſe, vnum determinatum virum totius Eccleſiæ Paſtorem, ſicut vnuſquiſque certâ fide agnoſcere debet, vnam Apoſtolicam & Catholi-

licam Eccleſiam: vt quia ab hac re exceptionem facit ſchiſmatis tempore; quo ſcilicet certò credi non debet aliquem determinatum virum, hunc vel illum eſſe Pontificem.

Illud ergo quidquid dici poteſt, in caſibus particulariter expreſſis, & recenſitis in argumento, & alijs pluribus, qui poſſunt ex hiſtoria Eccleſiaſtica adferri, nequaquam obſiſtere poteſt certæ noſtræ aſſertioni, quâ profitemur, hoc die & anno, PAVLVM V. ſummum & maximum Pontificem.

Vt autem aliquid facti argumenti, non relinquamus intactum, & breuiter, quod noſtro inſtituto ſufficit, dicamus de FORMOSO, STEPHANO VII. BENEDICTO VIII. BENEDICTO IX. & SILVESTRO III. Pontificibus. Primò certum eſt, verum atque legitimum Paſtorem Eccleſię fuiſſe Formoſum, eumque laudatiſſimum, tum religione, tum morum integritate atque doctrina aſſerit Luitprandus, & conſpirant alii, fide digni ſcriptores. Nec obſtat, quod idem Luitprandus teſtatur electionem eius tumultuariam fuiſſe, oppoſito illi, à quadam populi parte, Sergio Diacono. Non enim Canonicæ, ac legitimæ Pontificis electioni officit, vnius

cum aliqua populi parte, mala & irrationabilis contradictio; dum ſibi in eadem electione conſtans eſt, maior & ſanior pars, ad quam iure ſpectat electio. Nec etiam obſiſtit factum Stephani 7. decernentis Formoſũ, verum non fuiſſe Pontificem. Non quidem, quia ille ipſius error, non erat in fide; ſed violenta Tyrannis in facto, vt quidã graues & docti tradunt Auctores: ſed quia tunc Stephanus, nondum erat verus Eccleſiæ Pontifex, atque id fecit, ſynodo non ritè conuocatâ & peractâ. quâ ratione, quod à Stephano factum eſt, non debet ritè factum ceſeri

Quod ita confirmo. Etenim quòd quis ſit vel non ſit verus Pontifex (vt ex dictis patet) eſt quęſtio ad fidem ſpectans, dum quidpiam legitimæ electioni nõ obſiſtit, atque adeo error in re illa, eſt quidam in fide error. deinde, eſt res quædam grauiſſima, ad communem & totius Eccleſię gubernationem ſpectans; quæ etiam ſub communem totius Eccleſiæ conſenſum atque iudicium cadit. Non videtur autem Põtifex aliquis in hac re poſſe deficere; adeo vt quando declarat aliquem non eſſe Pontificem, is verè eiuſmodi ſit, & vt communem omnium veram de hac re, improbet & reprobet conſenſum.

Et quod plus his, & certiùs eſt, non potuiſſet ſaltem Pontificio Stephani decreto, contrarium ſtatui, factâ ad id legitimâ ſynodo, Rauennæ à Ioanne nono Pontifice. vt patet ex eadem ſynodo per Card. Baronium tranſcripta.

Accedit, quòd idem Baronius maniſeſtò atteſtatur; Stephanum 7. quem alii 6. dicunt, fuiſſe intruſum Pontificem, & Frodoardus dicit, aſſertum Pōtificem: quodque Pontificatum vi inuaſerit, & ſynodum illā, in qua reiecit Formoſum, appellat vi ſummâ collectum conuenticulum Epiſcoporum, ſimulq; Presbyterorum ipſi ſimilium. Verùm hæc manifeſtiſſima ſunt, ex ipſa ſynodo Rauennæ acta, in qua titulus primi capitis eſt, *de abrogatione pſeudoſynodi, habitæ à Stephano prædeceſſore.* & c.2. habetur. *Epiſcopi & Presbyteri & reliquus Chorus, qui eidem ſynodo interfuerunt, quia ipſi veniam petentes, coactos ſe terroris metu ac formidine interfuiſſe cōfeſſi sūt, prece ſanctæ ſynodi eis indulſimus.* Igitur factum Stephani nequaquam obſtat, quominus certò aſſeratur Formoſus, fuiſſe verus atque legitimus Pontifex.

De Stephano autem, res non adeo certa & manifeſta eſt. nam de illo affirmat Baronius, ſe non auſum inter Romanos Pontifices adnumerare Stephanum, niſi id ſa-

id factum à maioribus inueniſſet. Illud tamen de eodem hoc addit, quod intruſorum Pontificum, alij vt Pontifices poſtea recepti inueniuntur, alij verò penitus abrogati: id inde euenit, quòd illi quantumlibet Tyrannicè ſedem adepti; tamen accedente conſenſu Cleri (ſatius eſſe exiſtimantis, eos qualeſcunque tolerandos, quàm Eccleſiam ſchiſmate conſcindendam) vt legitimi Pontifices conſuetis ritibus ſunt electi. Hæc enim vt dicamus, illud planè neceſſariò cogit, quod vniuerſa Catholica Eccleſia eos, vt legitimos Pontifices coluit: quod nequaquam contigiſſet, niſi de facta poſtea legitima electione cõſtitiſſet. ita rectè Baronius.

Benedictus verò octauus, legitimè ſucceſſit Sergio 4. in Pontificia ſede, & ab illa quidem à Gregorio ſchiſmatico atq; intruſo Pontifice expulſus, non tamen depoſitus fuit; ſed eundem protinus in ſuam ſedem reſtituit, illâ de cauſa profectus Romam, Henricus Rex Germaniæ.

At Benedictum 9. atteſtatur Baronius, tyrãnide Patris eius Alberici Comitis Tuſculani, in Sacroſanctam Petri ſedem, intruſũ fuiſſe: interim verò ipsũ in Chriſtiano orbe cognitum, & habitum abſque controuerſia Romanum Pontificẽ; quod

pariter liquet ex multis & varijs, quæ ab eodem Pontificiâ auctoritate facta certò referuntur. atque ita hic denuò locum habet, quod ex Baronio in caſu Stephani adduximus: eò nimirum modo, illum verum ac legitimum fuiſſe Pontificem; vt dum antè tyrannus eſſet, deinceps conſuetis ritibus (vt inquit) fuerit verus electus Pontifex.

Vt verò exactiùs cognoſcatur, quid in hac re actum ſit. *ſciendum eſt* (inquit) *quod cùm duæ potententiſſimæ tunc temporis, in vrbe vigerent factiones, altera Tuſculanorum Comitum, a quibus intruſus erat Benedictus: altera Ptolomæi Romani Ciuis; qui magnâ iactantiâ vanè gloriabatur familiam ſuam Octauiæ eſſe gentis, Romani haud diutiùs ferre valentes Benedicti turpitudinem, vbique decantatam, & à bonis omnibus deploratam, contra potentiam Comitum Tuſculanorum, adiuti fauore Conſulis Ptolomæi, eundem Benedictum reiecerunt, & alium quem nominauere Silueſtrum tertium ſubrogarunt, qui & ipſe collectâ pecuniâ è Sabienſi Eccleſia, ad ſedem Pontificalem euectus, cum vix tribus men[illegible]m rexiſſet, à Benedicto annitentibus proceribus expulſus eſt. Non mul[illegible] Benedictus inuiſum ſe cunctis cer[illegible]i Romanæ Eccleſiæ Archipres[illegible]ſtatu tradito, ipſe cupiditates ſuas*

ſuas liberius executurus, in paternam ſe recepit domum. At verò Benedictum à praua ſua vita reſipiſcentem, perſuaſione viri ſanctiſſimi Bartholomæi, Abbatis Cryptæ ferratæ, diſcipuli S. Nili, ſponte Pontificatui ceſſiſſe, eius acta ſignificant: certum eſt tamen, eundem Benedictum dimiſſam recepiſſe Cathedram. Traditque Otto Friſingenſis, ſimul tres illos Antipontifices Romæ ſedere viſos eſſe. vnum ad S. Petrum, alterum ad S. Mariam maiorem, tertium, nempe Benedictum in Palatio Lateranenſi. Hunc autem miſerum ſtatum (ſubdit Otto) religioſus quidam Presbiter, Gratianus nomine videns, zeloque pietatis Matri ſuæ compatiens, præfatos viros adiit, eiſque à ſede ſancta cedere pecuniâ perſuaſit. Benedicto, quia maioris videbatur eſſe auctoritatis, redditibus Angliæ relictis. Ob quæ Ciues eundem ipſum Gratianum Presbyterum, tanquã Eccleſiæ Dei liberatorem, ſummum Pontificem elegerunt, ac mutato nomine Gregorium ſextum vocauerunt. Sed hęc vt iam monebam, aliquid propoſiti noſtri non infirmant; quia omnia in ſchiſmate & turbato Eccleſiæ ſtatu turbulentè tranſacta ſunt.

Denique quod vltimum illo argumento tangebatur, non potuiſſe aliq[illegible] tificia ſede deponi atque expel[illegible] dem pertineret illum eunder[illegible] tificem, etiam non officit no[illegible] quamuis iuxta fidem & C[illegible]

onem, illi viro competat Pontificium; l tamen eſt (quod explicauimus) meiante Eccleſiaſtico miniſterio, quod eſt egitima electio, totiuſque Eccleſię approbatio. At verò nihil ita naturale eſt, quàm vt vnaquęque res quibus principiis & cauſis conſtituitur, iiſdem & contrario modo diſſoluatur, vt dicitur in c. *omnis, de regulis Iuris*. atque adeò, iuxta eandē Christi inſtitutionem fieri poteſt, contrario modo interueniente Eccleſiaſtico miniſterio, quod eſt legitima depoſitio in caſu hæreſeos, ſi contingeret, vt qui ſecundùm fidem verus erat Pontifex, iam amplius verè talis non ſit: neque ita falſum aliquid erit fidei, aut aliud quid abſurdū conſequetur. Nam abſolutè non inconuenit, aliquid per ſe fidei eſſe, alio quopiā mediante: & rurſum omnia quæ fidei ſunt, non ęqualiter eadem omnibus modis immutata manent fidei.

Ad 3. dicendum eſt 1. Ex ſola Chriſti inſtitutione per ſe atque immediatè eſſe, vt aliquis ſingularis vir indeterminatè ſit pro tempore Pontifex: ex eadem tamen illa ſimul cum totius Eccleſiæ certo atq; indubitato conſenſu, ſimulque quādam legitimâ determinatione (quæ eſt ille cōſenſus Eccleſię) eſt, vt hic vir determinatè v. g. PAVLVS V. hoc tempore ſit Pon-

tifex: atque adeo, PAVLVM V. eſſe Pontificem nunc, non eſt quædam determinatio ſuperaddita fidei, & diuinæ inſtitutioni; de qua verum habeat, quod S. Thomas docet, de determinatione ſuperaddita legi naturali. Nam quod eſt ex Chriſti inſtitutione, & legitima definitione ſimul, planè eſt atque omninò, ex diuina inſtitutione: quia quidquid eſt legitimæ definitionis, totum illud eſt diuinæ inſtitutionis: non autem, quidquid eſt alicuius determinationis ſuperadditæ legi naturali, illud totum eſt legis naturalis. vnde & conſequens fit, quod, optimè docet de illa determinatione S. Thomas: vt ſcil. quod illius eſt, non pertineat ad legẽ naturalẽ; ſed ad aliam aliquã, nempe legẽ poſitiuã: non verò cõſequitur, hãc propoſitionẽ, PAVLVS V. *eſt Pontifex*, nõ pertinere ad fidẽ atque Chriſti inſtitutionẽ.

2 Dicimus præter ſpecialem Chriſti inſtitutionem atque directionem non contingere. vt ſingularis ille vir, qui pacificè certo tempore ſubſtituitur Pontifex, non pariter à Chriſto ipſo inſtituatur talis; quod non parum probat ſumma eius in Eccleſiam dilectio & cura; cum & illud ſcripturâ manifeſtâ conſtet, à Deo factum in regimine populi Iudaici, pariter pro ſua, ſed non pari in illum populũ; cura & dilectione, atque adeo verè idẽ eſt

irum aliquẽ ex Chriſti diſpoſitione ſpeciali eſſe Pontificem; atque hunc determinatum eſſe Pontificẽ: quia, vt inſtituit quòd aliquis ſit, ita & inſtituit quòd hic ſit Pontifex. ergo hunc virum PAVLVM V. eſſe Pontificẽ attinet Chriſti inſtitutionem & fidem ipſam.

3 Aliud eſt loqui de Chriſti inſtitutionę explicitè tradita, atque ritè manifeſtata, & aliud loqui de eadem, vt ſuperficietenus in ſcriptura ſacra cõſideratur cõtenta. quod obuiũ eſt in pluribus ſacræ ſcripturę propoſitionibꝰ, ex quibus pro diuerſa ratione atq; Eccleſię neceſſitate, quędã ſunt poſterioribus temporibus ad fidem pertinentia definita atque declarata, quæ antè talia non manifeſtò omnibus Chriſti fidelibus conſtabãt. quia verò rationibus factis ſufficienter probatum eſt, hanc noſtrã propoſitionẽ contentã eſſe Chriſti inſtitutione, vt illa quâdam infallibili determinatione eſt illuſtrata atque ſufficienter explicata, abſolutè dicẽdum eſt, PAVLVM V. eſſe Pontificem ad Chriſti inſtitutionem & fidem ſpectare,

Adde quamuis illud omnibus Chriſti fidelibus indifferẽter non ſit certũ & clarum; ſufficit tamen, idem cum fundamento & certa ratione à nobis adſtrui, & quòd ſapientioribus Catholicis,

atque doctis Theologis, perſpicuum ſit atque indubitatum.

4 Argumenti ſolutio facilis eſt ex dictis: nempe eãdem propoſitionem, & in ſcriptura reuelatam eſſe (loquendo de reuelatione prout modo dicto explicata intelligitur) & illam eodem modo à Chriſto ipſo pronũciatã. vt enim locis citatis, quę à Chriſto, ipſi Petro dicta ſunt, docuit S. Thomas dicta eſſe. Romano Pontifici, quodque certiſſimum eſt: ita pariter nos aſſerimus, eadem illa nunc PAVLO V. verè dicta eſſe, quod etiam ſatis manifeſtum eſt illo loquendi modo, quem in teſtimonijs Conciliorum & Pontificum prolatis obſeruauimus. Deinde verò eadem propoſitio toto Eccleſiæ cõtinuo tempore, ſic intellecta ad nos vſque deriuata eſt, atque inſuper ſuo modo determinata, per huius Pontificis electionem, & per totius Eccleſiæ approbationem, firmiter in fide fundata ſubſiſtit.

Ad 5. Reſponſum eſt ſuprà, tunc etiam propoſitionem aliquam, eſſe per ſe primò fidei, quando illa vt quædam ſingularis continetur in altera propoſitione fidei, quæ eſt vniuerſalis; & quando ex illa quæ fidei eſt, deducitur, quâdam inductione, & non formali aut dialecticâ conſequentiâ, vt patet in hiſce. Petrus eſt mortalis

etrus fuit in originali peccato &c, atque uiuſcemodi eſt noſtra propoſitio: non ſt autem eadem ratio de alijs propoſitionibus, quæ Theologicæ concluſiones ſunt, de quibus communiter docent omnes, eas tantùm per ſe ſecundò ad finem pertinere.

Vltimum animaduerto, omnia hæc quinque argumenta in communi Theologorum ſententia diſſoluenda eſſe, vt pateat fidei eſſe, imò ad Chriſti inſtitutionem pertinere, vt habet communis ſententia, Pontificem Romanum, eſſe ſummũ & vniuerſalem Pontificem. contra hoc enim, omnia illa æquali paſſu procedunt; vnde & aliæ aliorum ſolutiones, ad illud propoſitum, hic obſeruandæ erunt.

Ad 6. & poſtremum reſpondetur ex S. Thomæ doctrina 22. q. 39. a. 1. ad 3. quòd hæreſis & ſchiſma diſtinguũtur, ſecundùm ea quibus vtrumque per ſe opponitur: nam hęreſis per ſe opponitur fidei: ſchiſma autem per ſe opponitur vnitati Eccleſiaſticæ charitatis. Et ideo ſicut fides & charitas ſunt diuerſæ virtutes; ita & ſchiſma & hæreſis ſunt diuerſa vitia: Et tamen ſicut amiſſio charitatis, eſt via ad amittendam fidem; ita etiam ſchiſma eſt via ad hæreſim: vnde B. Hie-

ronymus in epiſtolã ad Titũ, ſuper illud c. 3. *hæreticum hominem* &c. tradit, quòd ſchiſma in principio, aliqua ex parte poteſt intelligi diuerſum ab hęreſi: cęterũ nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hęreſim, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur. hæc S. Thomas. ex quibus cõſtat, ſchiſmaticum per ſe loquendo diſponi ad hæreſim; atque etiam ipſo ſchiſmate, magnam accipere occaſionẽ hęreſeos, non tamen eſſe hæreticum formaliter. Nec verò qui ſe abſolutè ſeparat à Capite totius Eccleſiæ, iudicandus eſt ſemper id facere, eâ intentione, vt ipſum qui pro Capite eius atque ſummo Pontifice habetur, non agnoſcat aut nolit profiteri eum verè eiuſmodi eſſe, quod noſtro inſtituto dumtaxat âduerſatur, atque ideo non debet per ſe loquendo, & vniuerſaliter pro hæretico æſtimari.

ARTICVLVS XI.

Occurritur cuidam difficultati & obiectioni.

AD complementum totius difficultatis reſoluendæ, reſtat vltimum hoc expediendum, quod infringere videtur & infirmare totum noſtrum diſcurſum factum, atque fundamentum eius, nimirum quod tempore ſchiſmatis,

& turbulento Eccleſię ſtatu, verè non eſt fidei, illum determinatum hominem, qui præſidet Eccleſiæ vniuerſalem eſſe Paſtorem atque ſummum Pontificem; & nihilominus tunc etiam, ſufficienter Eccleſiæ in neceſſarijs prouiſum eſſe, credi & doceri debet: Ex quo fit 1. non abſolutè neceſſarium eſſe, vt diuinâ fide credamus, hunc virum eſſe Pontificem. 2. etiam illo ſuppoſito, verè propoſitiones quædam indubitatò fidei eſſent, quæ ſcilicet definitæ eſſent à Concilio, repreſentante tūc totam Eccleſiam, vel ab ipſo, qui dūtaxat vulgi æſtimatione, haberetur verus Pōtifex. quæ ſi vera ſunt, planè infirma vidētur omnia, quæ hactenus dicta ſunt.

Ad hoc dicendum, ita Eccleſiæ in credendis & agendis, ipſâ Chriſti ordinatione, prouiſum eſſe, vt per ſe loquendo, omni tempore ſecundum fidem, Chriſtique inſtitutionem, vnus aliquis determinatus aſſeratur Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor: hoc aliud quidpiam & diuerſum eſt ab eo, quòd quouis occurrente, aut poſſibili caſu, ſit Eccleſiæ ſatis in ijſdem prouiſum; eoque modo, qui tunc magis conueniens adinueniri poteſt. Sicut planè nobis conſtat, aliud eſſe, quòd ſapiēs aliquis architectus certo artificio, inſiſtat

ſapienter domus conſtructioni; & aliud, quòd idem etiam artificiosè, domui iam ruinam minitanti ac præcipiti, remedium ponat. & ſicut hinc nullius eſt roboris argumentũ: quod, quia alter hic modus ſufficiens eſt, iuxta quem architectus ſapienter illi domui iam ruinam minitanti, prouidet, ideo alius ille prior modus, quo ſapienter etiã domui extruẽdę incumbit, non ſit planè neceſſarius, aut ſit ſuperfluus. Ita pari ratione, illud argumentum iam factum nihil conuincit: eſt enim, vt hâc inductâ ſimilitudine patet, ab eo, prout Chriſtus ſapienter, in caſu neceſſitatis, aut quaſi corruptionis ſtatu, prouidet Eccleſię: ad hoc vt modo ordinario & ſtatu ordinatiſſimo, eandem firmiter ædificat Eccleſiam.

Quod amplius explicatur ac confirmatur. Sicut ſapientis legiſlatoris atque inſtitutoris eſt, primò ac per ſe intendere iis quæ ſui inſtituti ſunt, & ad ſuum ſpectant finem; & hiſce ſpectatis, lex eius atque facta inſtitutio, ordinatiſſima meritò enunciatur. Ita lex Chriſti Saluatoris eiuſque inſtitutio, iuxta quam omni tempore, dum trãquillus eſt Eccleſiæ ſtatus, vnus aliquis determinatus ſit Eccleſiæ ſummus Pontifex, planè ordinata, & cõueniens eſt. quod hactenus toto noſtro

diſcurſu ſ comprobauimus: vnde conſequens eſt concluſionem noſtram, per ſe loquendo, veram certamque eſſe. Nec verò illi obſtat, alio aliquo caſu aliud quidpiam, atque etiam oppoſitum fieri: nam illud illo modo contingit, quo tum in practicis, tum in ſpeculatiuis quibuſdam concluſionibus & perſeitas, & neceſſitas aliqualiter deficiens nec omnimodè infallibilis eſt, cuiꝰ rei plurima sũt, & obuia exempla: atq; etiã illo modo fit, quo lex aliqua in particulari caſu, ob certas rationes, non eſt obſeruanda; vt quia per diſpenſationem, interpretationem, vel exikiam etiam aliter conueniens aut neceſſarium eſt. Igitur non ſibi inuicem repugnans, ita Eccleſiæ à Chriſto domino prouisũ eſſe, vt per ſe loquẽdo, & trãquillo Eccleſiæ ſtatu, ſit pro tẽpore vnus ſemper, certuſq; ſecundum fidem, Eccleſiæ ſummus Pontifex; à quo etiam depẽdeant ſuo modo, quædam propoſitiones fidei, quę ab ipſo definitę ſunt: & quod ita ſit eccleſię ſufficienter prouiſum; vt quaſi per accidẽs, & in caſu particulari. ſcilicet tempore ſchiſmatis, non ſit vnus ſecundum fidem, certus Eccleſiæ vniuerſalis paſtor: à quo etiam tunc definitę propoſitiones fidei, non eodem modo, ſicut ab altero, dependent.

id factum à maioribus inueniſſet. Illud tamen de eodem hoc addit, quod intruſorum Pontificum, alij vt Pontifices poſteà recepti inueniuntur, alij verò penitus abrogati: id inde euenit, quòd illi quantumlibet Tyrannicè ſedem adepti; tamen accedente conſenſu Cleri (ſatius eſſe exiſtimantis, eos qualeſcunque tolerandos, quàm Eccleſiam ſchiſmate conſcindendam) vt legitimi Pontifices conſuetis ritibus ſunt electi. Hæc enim vt dicamus, illud planè neceſſariò cogit, quod vniuerſa Catholica Eccleſia eos, vt legitimos Pontifices coluit: quod nequaquam contigiſſet, niſi de facta poſtea legitima electione cōſtitiſſet. ita rectè Baronius.

Benedictus verò octauus, legitimè ſucceſſit Sergio 4. in Pontificia ſede, & ab illa quidem à Gregorio ſchiſmatico atq; intruſo Pontifice expulſus, non tamen depoſitus fuit; ſed eundem protinus in ſuam ſedem reſtituit, illà de cauſa profectus Romam, Henricus Rex Germaniæ.

At Benedictum 9. atteſtatur Baronius, tyrānide Patris eius Alberici Comitis Tuſculani, in Sacroſanctam Petri ſedem, intruſū fuiſſe: interim verò ipsū in Chriſtiano orbe cognitum, & habitum abſque controuerſia Romanum Pontificē; quod

pariter liquet ex multis & varijs, quæ ab eodem Pontificiâ auctoritate facta certò referuntur. atque ita hic denuò locum habet, quod ex Baronio in caſu Stephani adduximus: eò nimirum modo, illum verum ac legitimum fuiſſe Pontificem; vt dum antè tyrannus eſſet, deinceps conſuetis ritibus (vt inquit) fuerit verus electus Pontifex.

Vt verò exactiùs cognoſcatur, quid in hac re actum ſit. *ſciendum eſt* (inquit) *quod cùm duæ potententiſſimæ tunc temporis, in vrbe vigerent factiones, altera Tuſculanorum Comitum, a quibus intruſus erat Benedictus: altera Ptolomæi Romani Ciuis; qui magnâ iactantiâ vanè gloriabatur familiam ſuam Octauiæ eſſe gentis, Romani haud diutiùs ferre valentes Benedicti turpitudinem, vbique decantatam, & à bonis omnibus deploratam, contra potentiam Comitum Tuſculanorum, adiuti fauore Conſulis Ptolomæi, eundem Benedictum reiecerunt, & alium quem nominauere. Silueſtrum tertium ſubrogarunt, qui & ipſe collectâ pecuniâ è Sabienſi Eccleſia, ad ſedem Pontificalem euectus, cum vix tribus men-* [illegible]*m rexiſſet, à Benedicto annitentibus proceribus expulſus eſt. Non mul-* [illegible] *Benedictus inuiſum ſe cunctis cer-* [illegible]*i Romanæ Eccleſiæ Archipres-* [illegible]*atu tradito, ipſe cupiditates*

ſuas liberius executurus, in paternam ſe recepit domum. At verò Benedictum à praua ſua vita reſipiſcentem, perſuaſione viri ſanctiſſimi Bartholomæi, Abbatis Cryptæ ferratæ, diſcipuli S. Nili, ſponte Pontificatui ceſſiſſe, eius acta ſignificant: certum eſt tamen, eundem Benedictum dimiſſam recepiſſe Cathedram. Traditque Otto Friſingenſis, ſimul tres illos Antipontifices Romæ ſedere viſos eſſe. vnum ad S. Petrum, alterum ad S. Mariam maiorem, tertium, nempe Benedictum in Palatio Lateranenſi. Hunc autem miſerum ſtatum (ſubdit Otto) religioſus quidam Presbiter, Gratianus nomine videns, zeloque pietatis Matri ſuæ compatiens, præfatos viros adiit, eiſque à ſede ſancta cedere pecuniâ perſuaſit. Benedicto, quia maioris videbatur eſſe auctoritatis, redditibus Angliæ relictis. Ob quæ Ciues eundem ipſum Gratianum Presbyterum, tanquã Eccleſiæ Dei liberatorem, ſummum Pontificem elegerunt, ac mutato nomine Gregorium ſextum vocauerunt. Sed hęc vt iam monebam, aliquid propoſiti noſtri non infirmant; quia omnia in ſchiſmate & turbato Eccleſiæ ſtatu turbulentè tranſacta ſunt.

Denique quod vltimum illo argumento tangebatur, non potuiſſę aliq[illegible] tificia ſede deponi atque expe[illegible] dem pertineret illum eunder[illegible] tificem, etiam non officit no[illegible] quamuis iuxta fidem & C[illegible]

tionem, illi viro competat Pontificium, id tamen eſt (quod explicauimus) mediante Eccleſiaſtico miniſterio, quod eſt legitima electio, totiuſque Eccleſię approbatio. At verò nihil ita naturale eſt, quàm vt vnaquęque res quibus principiis & cauſis conſtituitur, iiſdem & contrario modo diſſoluatur, vt dicitur in c. *omnis, de regulis Iuris*. atque adeo, iuxta eandē Chriſti inſtitutionem fieri poteſt, contrario modo interueniente Eccleſiaſtico miniſterio, quod eſt legitima depoſitio in caſu hæreſeos, ſi contingeret, vt qui ſecundùm fidem verus erat Pontifex, iam amplius verè talis non ſit: neque ita falſum aliquid erit fidei, aut aliud quid abſurdū conſequetur. Nam abſolutè non inconuenit, aliquid per ſe fidei eſſe, alio quopiā mediante: & rurſum omnia quæ fidei ſunt, non ęqualiter eadem omnibus modis immutata manent fidei.

Ad 3. dicendum eſt 1. Ex ſola Chriſti inſtitutione per ſe atque immediatè eſſe, vt aliquis ſingularis vir indeterminatè ſit pro tempore Pontifex: ex eadem tamen illa ſimul cum totius Eccleſiæ certo atq; indubitato conſenſu, ſimulque quādam legitimā determinatione(quæ eſt ille cōſenſus Eccleſię) eſt, vt hic vir determinatè v. g. PAVLVS V. hoc tempore ſit Pon-

tifex: atque adeo, PAVLVM V. eſſe Pontificem nunc, non eſt quædam determinatio ſuperaddita fidei, & diuinæ inſtitutioni; de qua verum habeat, quod S. Thomas docet, de determinatione ſuperaddita legi naturali. Nam quod eſt ex Chriſti inſtitutione, & legitima definitione ſimul, planè eſt atque omninò, ex diuina inſtitutione: quia quidquid eſt legitimæ definitionis, totum illud eſt diuinæ inſtitutionis: non autem, quidquid eſt alicuius determinationis ſuperadditæ legi naturali, illud totum eſt legis naturalis. vnde & conſequens fit, quod optimè docet de illa determinatione S. Thomas: vt ſcil. quod illius eſt, non pertineat ad legẽ naturalẽ; ſed ad aliam aliquã, nempe legẽ poſitiuã: non verò cõſequitur, hãc propoſitionẽ, PAVLVS V. *eſt Pontifex.* nõ pertinere ad fidẽ atque Chriſti inſtitutionẽ.

2 Dicimus præter ſpecialem Chriſti inſtitutionem atque directionem non contingere. vt ſingularis ille vir, qui pacificè certo tempore ſubſtituitur Pontifex, non pariter à Chriſto ipſo inſtituatur talis; quod non parum probat ſumma eius in Eccleſiam dilectio & cura; cum & illud ſcripturâ manifeſtâ conſtet, à Deo factum in regimine populi Iudaici, pariter pro ſua, ſed non pari in illum populũ; cura & dilectione, atque adeo verè idẽ eſt

virum aliquẽ ex Chriſti diſpoſitione ſpeciali eſſe Pontificem; atque hunc determinatum eſſe Pontificẽ: quia, vt inſtituit quòd aliquis ſit, ita & inſtituit quòd hic ſit Pontifex. ergo hunc virum PAVLVM V. eſſe Pontificẽ attinet Chriſti inſtitutionem & fidem ipſam.

3 Aliud eſt loqui de Chriſti inſtitutione explicitè tradita, atque ritè manifeſtata, & aliud loqui de eadem, vt ſuperficiètenus in ſcriptura ſacra cõſideratur cõtenta. quod obuiũ eſt in pluribus ſacræ ſcripturę propoſitionib⁹, ex quibus pro diuerſa ratione atq; Eccleſię neceſſitate, quędã ſunt poſterioribus temporibus ad fidem pertinentia definita atque declarata, quæ antè talia non manifeſtò omnibus Chriſti fidelibus conſtabãt. quia verò rationibus factis ſufficienter probatum eſt, hanc noſtrã propoſitionẽ contentã eſſe Chriſti inſtitutione, vt illa quâdam infallibili determinatione eſt illuſtrata atque ſufficienter explicata, abſolutè dicẽdum eſt, PAVLVM V. eſſe Pontificem ad Chriſti inſtitutionem & fidem ſpectare.

Adde quamuis illud omnibus Chriſti fidelibus indifferẽter non ſit certũ & clarum; ſufficit tamen, idem cum fundamento & certa ratione à nobis adſtrui, & quòd ſapientioribus Catholicis,

atque doctis Theologis, perſpicuum ſit atque indubitatum.

4 Argumenti ſolutio facilis eſt ex dictis: nempe eãdem propoſitionem, & in ſcriptura reuelatam eſſe (loquendo de reuelatione prout modo dicto explicata intelligitur) & illam eodem modo à Chriſto ipſo pronũciatã. vt enim locis citatis, quę à Chriſto, ipſi Petro dicta ſunt, docuit S. Thomas dicta eſſe. Romano Pontifici, quodque certiſſimum eſt: ita pariter nós aſſerimus, eadem illa nunc PAVLO V. verè dicta eſſe, quod etiam ſatis manifeſtum eſt illo loquendi modo, quem in teſtimonijs Conciliorum & Pontificum prolatis obſeruauimus. Deinde verò eadem propoſitio toto Eccleſiæ cõtinuo tempore, ſic intellecta ad nos vſque deriuata eſt, atque inſuper ſuo modo determinata, per huius Pontificis electionem, & per totius Eccleſiæ approbationem, firmiter in fide fundata ſubſiſtit.

Ad 5. Reſponſum eſt ſuprà, tunc etiam propoſitionem aliquam, eſſe per ſe primò fidei, quando illa vt quædam ſingularis continetur in altera propoſitione fidei, quæ eſt vniuerſalis; & quando ex illa quæ fidei eſt, deducitur, quâdam inductione, & non formali aut dialecticâ conſequentiâ, vt patet in hiſce. Petrus eſt mortalis

Petrus fuit in originali peccato &c,atque huiuſcemodi eſt noſtra propoſitio: non eſt autem eadem ratio de alijs propoſitionibus, quæ Theologicæ concluſiones ſunt;de quibus communiter docent omnes, eas tantùm per ſe ſecundò ad fidem pertinere.

Vltimum animaduerto, omnia hæc quinque argumenta in communi Theologorum ſententia diſſoluenda eſſe, vt pateat fidei eſſe, imò ad Chriſti inſtitutionem pertinere, vt habet communis ſententia, Pontificem Romanum, eſſe ſummũ & vniuerſalem Pontificem. contra hoc enim, omnia illa æquali paſſu procedunt; vnde & aliæ aliorum ſolutiones, ad illud propoſitum, hic obſeruandę erunt.

Ad 6. & poſtremum reſpondetur ex S. Thomæ doctrina 22. q. 39. a. 1. ad 3. quòd hæreſis & ſchiſma diſtinguũtur, ſecundùm ea quibus vtrumque per ſe opponitur: nam hęreſis per ſe opponitur fidei: ſchiſma autem per ſe opponitur vnitati Eccleſiaſticæ charitatis. Et ideo ſicut fides & charitas ſunt diuerſæ virtutes; ita & ſchiſma & hæreſis ſunt diuerſa vitia: Et tamen ſicut amiſſio charitatis, eſt via ad amittendam fidem; ita etiam ſchiſma eſt via ad hæreſim: vnde B. Hie-

ronymus in epiſtolã ad Titũ, ſuper illud c. 3. *hæreticum hominem* &c. tradit, quòd ſchiſma in principio, aliqua ex parte poteſt intelligi diuerſum ab hęreſi: cęterũ nullum ſchiſma non ſibi aliquam confingit hęreſim, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videatur. hæc S. Thomas. ex quibus cõſtat, ſchiſmaticum per ſe loquendo diſponi ad hæreſim; atque etiam ipſo ſchiſmate, magnam accipere occaſionẽ hęreſeos, non tamen eſſe hæreticum formaliter. Nec verò qui ſe abſolutè ſeparat à Capite totius Eccleſiæ, iudicandus eſt ſemper id facere, eâ intentione, vt ipſum qui pro Capite eius atque ſummo Pontifice habetur, non agnoſcat aut nolit profiteri eum verè eiuſmodi eſſe, quod noſtro inſtituto dumtaxat âduerſatur, atque ideo non debet per ſe loquendo, & vniuerſaliter pro hæretico æſtimari.

ARTICVLVS XI.

Occurritur cuidam difficultati & obiectioni.

AD complementum totius difficultatis reſoluendæ, reſtat vltimum hoc expediendum, quod infringere videtur & infirmare totum noſtrum diſcurſum factum, atque fundamentum eius, nimirum quod tempore ſchiſmatis.

& turbulento Eccleſię ſtatu, verè non eſt fidei, illum determinatum hominem, qui præſidet Eccleſiæ vniuerſalem eſſe Paſtorem atque ſummum Pontificem; & nihilominus tunc etiam, ſufficienter Eccleſiæ in neceſſarijs prouiſum eſſe, credi & doceri debet: Ex quo fit 1. non abſolutè neceſſarium eſſe, vt diuinâ fide credamus, hunc virum eſſe Pontificem. 2. etiam illo ſuppoſito, verè propoſitiones quædam indubitatò fidei eſſent, quæ ſcilicet definitæ eſſent à Concilio, repreſentante tũc totam Eccleſiam, vel ab ipſo, qui dũtaxat vulgi æſtimatione, haberetur verus Põtifex. quæ ſi vera ſunt, planè infirma vidẽtur omnia, quæ hactenus dicta ſunt.

Ad hoc dicendum, ita Eccleſiæ in credendis & agendis, ipſâ Chriſti ordinatione, prouiſum eſſe, vt per ſe loquendo, omni tempore ſecundum fidem, Chriſtique inſtitutionem, vnus aliquis determinatus aſſeratur Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor: hoc aliud quidpiam & diuerſum eſt ab eo, quòd quouis occurrente, aut poſſibili caſu, ſit Eccleſiæ ſatis in ijſdem prouiſum; eoque modo, qui tunc magis conueniens adinueniri poteſt. Sicut planè nobis conſtat, aliud eſſe, quòd ſapiẽs aliquis architectus certo artificio, inſiſtat

diſcurſu comprobauimus: vnde conſequens eſt concluſionem noſtram, per ſe loquendo, veram certamque eſſe. Nec verò illi obſtat, alio aliquo caſu aliud quidpiam, atque etiam oppoſitum fieri: nam illud illo modo contingit, quo tum in practicis, tum in ſpeculatiuis quibuſdam concluſionibus & perſeitas, & neceſſitas aliqualiter deficiens nec omnimodè infallibilis eſt, cui⁹ rei plurima sũt, & obuia exempla:atq; etiã illo modo fit, quo lex aliqua in particulari caſu, ob certas rationes, non eſt obſeruanda; vt quia per diſpenſationem, interpretationem, vel exikiam etiam aliter conueniens aut neceſſarium eſt. Igitur non ſibi inuicem repugnans, ita Eccleſiæ à Chriſto domino prouisũ eſſe, vt per ſe loquẽdo, & trãquillo Eccleſiæ ſtatu, ſit pro tẽpore vnus ſemper, certuſq; ſecundum fidem, Eccleſiæ ſummus Pontifex; à quo etiam depẽdeant ſuo modo, quædam propoſitiones fidei, queę ab ipſo definitę ſunt: & quod ita ſit eccleſię ſufficienter prouiſum; vt quaſi per accidẽs, & in caſu particulari. ſcilicet tempore ſchiſmatis, non ſit vnus ſecundum fidem, certus Eccleſiæ vniuerſalis paſtor: à quo etiam tunc definitę propoſitiones fidei, non eodem modo, ſicut ab altero, dependent.

ERRATA.

Pag. 11. lin. 6. propoſito pro propoſitio.
pag. 17. lin. 28. duntaxant pro duntaxat.
pag. 18. lin. 1. ergo pro &c.
pag. eãdem. lin. 22. exrore pro errore.
pag. 26. lin. 14. dele 17.
pag. 32. lin. 26. diſcurſu pro decurſu
pag. 37. lin. 2. adamus pro damus.
pag. 32. lin. 12. male diuiditur in per?

Hæc ad Dei gloriam & honorem Pontificiæ auctoritatis, atque defenſionem Pauli 5. d. g. ſummi Pontificis dicta, eiuſdem correctioni & cenſuræ ſubiecta ſunt.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE